

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI *equitem, commentarii* VOX URBIS *possessorem et administratorem*
ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA	IN ANGLIA	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.	IN CANADA ET NEWFOUNDLAND
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	Apud BURNS AND OATES LONDON W. - 28, Orchard Street.	Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND. NEW YORK, 143 w 95th St.	NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
IN BELGICA	IN GALLIA	IN HUNGARIA	
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	LUGDUNI Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue Victor Hugo, 5	LUTETIAE PARISIORUM LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC. Rue Cassette, 11.	ISSULIS (LILLE) Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue de Metz, 41.
			Apud C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

DE QUADAM CALENDARIJ GREGORIANI OPTIMA VIRTUTE	I. Lais.
SINENSE MARTYROLOGIUM	Senior.
DE INGENUARUM ARTIUM HONESTATE	I. Antonelli.
"UNDE HAEC INCENDIA?,"	G. P.
PUGILES GRAECAE ARTIS OPUS	Laelius.
EX GALLIA - De omnium rerum Expositione Parisiensi	A. Vieillot.
DE AËRIS TEMPERIE DEQUE MENTIS MOTIBUS	R. Spina.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	P. Angelini.
COMMUNIA VITAE - De messe, ac de papilionum aucupiiis et speciebus	H. D. V. Pieralice.
HORAE SUBSECIVAE - Ad Felicem Ramorino in agro Pistoriensi rusticantem, cui <i>Vocem Urbis</i> remittebam	A. Bartoli.
AUREUM OCEANUM	A. L.
ANNALES	Poplicola.
LIBRORUM RECENSIO	P. A.
AENIGMATA	Digamma.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Flores in conclavibus - Harengi quo vescantur - Ioci	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCIJ

M DCCC

COMMENTARIJ "VOX URBIS", INDICES SINGULI

IX num. ann. III.

Christianae antiquitatis cultoribus Romae congregatis salutatio - L. M. CARD. PAROCCHI.
Kalendis Maiis - De proletariis - I. TONIOLO.
De manuum labore inter gentes tuendo - P. ROSSANI.
Ex Germania - De Borussia Scientiae Academia - P. ALT.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
Socius peculiari dono ornatus - *Vox Urbis*.
Veterum navigia - A. COSTAGGINI.
Alexandri Manzoni carmen inscriptum *Il Cinque Maggio* - M. RICCI.
Textura electrica ac teletroscopium - M. LANI.
Auditus et musicae - R. SPINA.
Polypi immanes - ALPHA.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.
Christianae antiquitatis doctorum Urbanus habitus conventus - A. L.
Perillustri viro equiti Nicolao Galdo condolecentis animi sensus ob amatissimi filii excessum - I. BROIA.
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - MICROVIR.
Annales - POPPLICOLA.
Librorum recensio - P. A.
Aenigmata - P. GARRONE.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Quid inter Napoleonem I et literam M. - Europaeorum in orbe usus linguarum - Psittaci praecantes* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

X num. ann. III.

De popularibus itemque agrariis athenaeis - P. G.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
De stilo artis christianae - Cultoribus christianarum antiquitatum convivium habentibus - B. MAGNI.
Notitiae litterarum et artium - Ad Tarentum inventa - T. PACI.
Ad Mariam mense Maio volvente pacis vota - I. SOLA.
Rolandi fabula - I. ANTONELLI.
De praecipuis basilicis Urbis - ALPHA.
Flora - H. P.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Risus et hilaritas - R. SPINA.
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.
Quaesitis responsio - De unica eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Peracti saeculi utilitas, et gloria senescentibus - Novae virtutis arbutus - Solaris lux in servitute redacta est! - Ovum princeps - Singulare et mirabile* - P. d. V.

XI num. ann. III.

De popularibus legislatorum comitiis - P. ROSSANI.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
De stela in Romano Foro effossa novae animadversiones - ROMANUS.
In hodiernum « progressum » - FR. XAV. REUSS.
De quadam transvaaliana poetria - T. PACI.
Ex Americis - *Philocetes* Sophoclea tragoedia in scenis acta - I. B.
Tuscanensis S. Petri aedes - A. COSTAGGINI.
De quorundam moroso musicorum ingenio - HER-SILUS.
Vita functi viri clariore - P. A.
De labyrinthis - A. VIELLOT.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - H. DOSWALD.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - TIRUNCULUS.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Singulare expurgiculum - Melodion - Ioci* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

XII num. ann. III.

Operariorum familiae - P. ROSSANI.
De certamine poetico Hoeufftiano - A. BARTOLI.
De saltus Polonorum origine qui dicitur « mazur » - I. WABNER.
Ex Gallia - De nova gallicae linguae ortografia - MONTELUCCIUS.
« Tuberculosis » arcendae ratio - R. SPINA.
Dantis Aligherii visus centenaria commemoratio - H. SALVADORI.
Ex Dante Aligherio - *Inferi* - Carmen primum - I. BONAVENTA S. I.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
De secretis Sinensium sectis - A. COSTAGGINI.
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.
Peculiare donum socio datum - *Vox Urbis*.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. A.
Aenigmata - I. CASTELLI.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Finis orbi terrarum ingruitne an multis abbinne annis incipit? - Electrotraenum - Ioci* - P. d. V.

XIII num. ann. III.

Quae XX saeculo faciunda XIX saeculum scholis tradiderit - SENIOR.
Sinenses pugiles - A. COSTAGGINI.
Thomas Ketteler - P. ALT.
Rolandus adolescens - I. ANTONELLI.
Ad solem. Quingentesimo recurrente anno ab academia Cracoviensi instituta carmen saeculare - I. WABNER.
« Seroterapia » apud veteres - G. P.
Bonarrotii absis Florentiae - ALPHA.
Romuli sepulcrum et Volcanal - ROMANUS.
Gherardi « delle notti » tabula coenam referens - X.
De auxilio naufragis ferendo - R. SPINA.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Quomodo Berlioz musicis se dederit qui medicus prope est factus - LAELIUS.
De modo et ratione educandi tauros ad cursum penes Hispanos - HERSILUS.
Quaesitis responsio - De una eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.
Quaestiones inter socios propositae - De Henrici Stenkievitz commenticia fabula quae inscribitur: *Quo vadis?* - *Vox Urbis*.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Sinensis orbis circumvallatio - Ambulatoriae aedes Iustitiae - Temporis per hebdomadas distributio - Ioci* - P. d. V.

XIV num. ann. III.

Indicto litterarum certamini additi dies - *Vox Urbis*.
De Europae gentibus foedere iungendis - P. ROSSANI.
De capillorum et barbae usu apud Romanos - A. BARTOLI.
Ex Gallia - De omnium rerum Expositionibus deque hodierna Parisiensi - A. VIELLOT.
De Sinae et Iaponiae incolis - T. PACI.
De saltus Polonorum origine qui dicitur « Mazur » - I. WABNER.
Carmen puellare - Melodia popularis Polonorum sive « Mazur » - S. NOSKOWSKI.
« Zingari » qui dicuntur - HERSILUS.
Salvatoris Rosae tabula Catilinae coniurationem referens - LAELIUS.
Ioannes Gutenberg - A. COSTAGGINI.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Sapientum inventa - M. LANI.
Horae subsecivae - Ignes arte facti in monte Pincio - B. NELLI.
Ferdinando com. Capponio Pisanorum archiepiscopo ob eius recuper. e gravi morbo valetudinem an. MCM - I. BATTANIUS.
Communia vitae - Propriae quibusdam quadrupedibus voces - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPPLICOLA.

Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Manufacti lapides - Quam diu liceat carere somno volentibus - Ioci* - P. d. V.

XV num. ann. III.

Futura militiae dominatio - SENIOR.
De grammaticorum ac rhetorum officii apud Romanos - I. IACHINO.
De Henrici Stenkievitz libro « Quo vadis? », inscripto - I. ANTONELLI.
In Ioannem Baptistam N*** tecto nomine Rufum ephabei cuiusdam olim alumnus - LEO PP. XIII.
Manicomia apud maiores - P. ALEXIS.
Tuscanensis aedes S. M. Maioris - A. C.
Ex Gallia - De omnium rerum Expositione Parisiensi - A. VIELLOT.
Sinenses portus - A. COSTAGGINI.
Angelus (Rossorum fabella popularis) - N. FESTA.
Communia vitae - De papilionibus ac de messe - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Quid si celeriora hodiernis electrone itinera? - Ioci* - P. d. V.
Sociis monitum - A. SECRETIS.

XVI num. ann. III.

Margaritae Itolorum Reginae in nece Humberti coniugis - *Vox Urbis*.
Humbertus I e Domo Sabaudia - FORFEX.
De tuenda latinitate - H. D. V. PIERALICE.
De disciplina « sociologica » - P. ROSSANI.
De Sedulio poeta christiano - I. LEMETTE.
Passio Christi in scenis acta ad Oberammergau - LAELIUS.
Solaris qui dicitur ictus - R. SPINA.
Ex Batavia - Feriae studiosorum Lugduni Batavorum habitae - L. P. MICROVIR.
Geographiae studium in scholis - F. R.
Lollius sive de propecta latinitate - P. ANGELINI.
Quaesitis responsio - De una eademque apud omnes pronuntiatione latina - A. SORDET.
Amygdala - A. BARTOLI.
Annales - POPPLICOLA.
Librorum recensio - A. P. - I. F. - I. A.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Ioci ex historiis* - P. d. V.
Sociis monitum - A. SECRETIS.

XVII num. ann. III.

Die nominali Leonis XIII Pont. Maximi - XIV Kal. Septembr. A. MCM - P. ANGELINI.
Quodnam erit saeculum? - SENIOR.
De Romanorum bibliothecis - I. IACHINO.
De extraneis artibus apud barbaros Afros inventis - A. COSTAGGINI.
Concordia Iulia - M. BELLI.
Ex Gallia - De omnium rerum Expositione Parisiensi - A. VIELLOT.
De latinitate in scholis tuenda iterum, et non amplius - H. D. V. PIERALICE.
Effossiones novae in Romano Foro peractae - ROMANUS.
Communia vitae - Aestiva ad Romam in suburbano coenatio - P. ALEXIS.
Annales - POPPLICOLA.
Librorum recensio - I. A.
Aenigmata - V. CARIOLATO.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Praecepta ad oculorum aciem servandam - Telephotographus - Produendae vitae causa motus - Stillitane alter? - Novae medicinae ratio - Ioci* - P. d. V.

(1) Animadversiones
Gallicae Academiae die

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15. M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE QUADAM CALENDARIII GREGORIANI OPTIMA VIRTUTE (1)

CALENDARIUM Gregorii papae cura renovatum vix usu venit, cum denigratores statim exorti sunt, blaterantes finem illius emendationi propositum nullimode novo dierum ordine attingi posse. Iterarunt haec nostris diebus Beckett Denison (qui Grimthorps nobili nomine modo auctus est) et Glasenapp doctor, Russorum calendario emendando praefectus. Qui quidem, saecularibus immutationibus iuxta Gregorianum stilum in annis bisextilibus supputandis adhibitis, novum centum viginti et octo annorum circulum suffecere, quem astronomiae doctores benigne a priori exceperunt.

Et profecto nostrum annorum tempus 365 dierum est, atque 242199. Contra vero si novus hic 128 annorum circulus in annorum diuturnitate aestimanda adhibeatur, medium eorum tempus advenietur dier. 365, 242187. Differentia itaque interest minima $\frac{12}{1000000}$, quae exacta paene supputatio vitae necessitatibus satis superque est.

Ratiocinatio autem, qua clari illi viri utuntur, errori obnoxia eo adamussim loco videtur, quo in Gregorianum calendarium animadvertit. Non inficiamur equidem astronomicam disciplinam magis in dies provectam tropici annorum circuli veriorum aestimationem reperisse, quam quae tribus abhinc saeculis innumeras inter difficultates atque incertitudines computata est; sed tamen calendarii Gregoriani laus non imminuitur, quod tam firmis fundamentis innititur, ut cuiusvis perfectioris immutationis facile patiens reddatur. Eius enim ordo tropicalis anni aestimandi differentia ut expungatur plane sinit, utque requisita concordia obtineatur.

Quisquis enim ordinarium annorum circulum inter ac tropicalem assequi nititur aequalitatem, tum si circulum 128 annorum (loco trium annorum bisextilium quadringentesimo quoque anno, prouti in hodierno Gregoriano ordine servatur), tum si magis diuturnum 3200 annorum adhibeat, aequae facilius perficiet. Quo quidem in secundo ordine, Gregoriano calendario immutato, bisextilem annum, qui circuli finem faciet, delere satis sit. Haec autem abrogatio omnibus annis redibit, qui numeri 3200 veluti multipli fuerint.

Gregorianus itaque ordo, facili item comptaeque solutioni ab ipso propositae nulla commutatione alata, emendationes omnes sibi addi patitur ad quasi perfectam aequalitatem assequendam civilem inter atque tropicalem annum necessariam; neque potest igitur defectu argui, quem ut corrigat, media ipse suppeditat. Bisextilis enim anni abrogatio tunc adveniet, cum errores successive cumulati plenam diem effecerint, quem tamen eventum annus 3200 inferet, qui computationem radicatus innovabit, novaeque aetati ter et amplius millenariae praebebit initium.

(1) Animadversiones, quae sequuntur, obtuli Scientiarum Gallicae Academiae die 11 mensis Iulii huius anni MCM.

Atqui 128 annorum rationem a Denison doctore propositam ad trutinam vocemus. Exstant in hoc temporis spatio bisextiles Iuliani anni 32, communes vero 97; bisextili anno, circuli cuiusque proprio, deleto, aequatio exurgit:

$$31 \times 366 + 97 \times 365 = 46751 \text{ dies.}$$

Quae quidem nota, cum per 128 dividatur, pro singulo quoque anno praebet

$$\text{dies } 365, 2421875.$$

Nunc contra circulum 3200 annorum sumamus.

Aderunt in eo bisextiles Iuliani anni 800, quorum Gregorianus ordo viginti quatuor delet. Abrogatis autem bisextilibus circuli propriis, habemus

$$775 \times 366 + 2425 \times 365 = 1168775 \text{ dies;}$$

quo numero per 3200 annorum spatio diviso, aestimationem anni obtinet

$$\text{dies } 365, 2421875.$$

Concordia itaque plena est.

Sequitur etiam Gregorianum ordinem circulo a Denison proposito antecellere, etiamsi, iuxta Lynn doctoris desiderium (1), ex hoc ipso anno 1900 originem ducat.

Profecto huiusmodi circulus initium iam sumpsit, neque differentia, quae pro actis iam annis convalluit, brevior circulo eoque perfecto rependi valet. Contra vero, si circulo 3200 annorum adhaeserimus, cum errores successive cumulati integram in fine circuli diem expleverint, anno bisextili abacto, concordia inter tropicalem et ordinarium annum iterum exsurget.

IOSEPHUS LAIS.

SINENSE MARTYROLOGIUM

MENDACIO, hypocrisis, astutiae, versutiae nunquam ad usque talos promissa vestis; proverbium vetus. Dum enim per usurpata gradiuntur, brevi ex indumento anguinae caudae, distortae tibiae, leonini pedes, tigrinae ungulae apparent, et quos prima fefellerunt fronte, diuturna nequeunt simulatione decipere. Haec in animum rediere meum, iam inde suscepta a maioribus, Sinensia, quae nunc ardent plusquam civilia bella, cogitantem. Plusquam civilia bella, dixi, Lucani stilum sequutus; quae enim apud Seres civilia praetexebantur arma compescenda, illa «adversus Dominum et adversus Christum eius» turpi fraude congerebantur, unoque penitus odio Europaeae civitates, christiano cultu ac religione praestantiores et in dominatum ceterarum gentium provectae, ad Christum delendum exterminandumque decernebantur. Haec ubi Seres illi fecissent, immutatae, subversaeque prorsus forent historiae, rerumque humanarum leges, et Europa succumberet Asiae. Hinc immane illud flagravat bellum, flagratque teterrimum, Sinensium do-

(1) Cfr. comm. *Nature*, n. 1443, die XXIV mensis Iunii MDCXCVII.

minatoribus gratum desideratumque iamdiu, quo incermes, insontesque homines nostros adorti sunt Seres, ferro, igne deleverunt, domosque eorum expilaverunt, expilatas incendio cremarunt. At quis plebis et tot furiantium militum ita coercere potuit sermones, ut perpetua hypocrisis continerentur?

Liceat ad rem ferre epistolam nondum praelo mandatam, nobis autem propriam, qua R. P. Placidus a Castellammare, Evangelii praedicator in provincia Tsi-nan-fu, a septima et vicesima die mensis Novembris, anno nuper elapso, ita monebat: «Quatuor abhinc mensibus, nostri in regione vicariatus, atrox uti procella, furit persequutio. Turbae rebelles domos Christianorum aggrediuntur et expilant, vicos et opida delent incendio, si Christo obsequantur, templa quotquot, nostrasque sedes; fideles absque discrimine profligant, occidunt, nullo discrimine sexus, conditionis, aetatis; sacerdotibus eadem. Tertio calendis Octobres impetus in sedem fratrum meorum hanc decernebatur: Deo miserante et avertente, nil praeter minas atque terrorem. At quae minae! quantus terror! Ecce, dum scribo, coram me triginta et ultra vicorum fumant incendia; cadavera interfectorum supra quod credibile sunt; sacerdotibus autem durissima super omnes. Galliarum legatus, quo protegente speramus, tribus iam inde mensibus nil inausum pro Christianis, nil intentatum relinquit. Omnia frustra. Sinensium provinciarum praesides (*mandarini* appellantur) verba imponunt, dant, irrident versipelles, versuti, bilingues, omne quod pessimum. Nunc singula labi, in pessima ruere. Hesternae die ab urbe Pekino nuntius ferebat legatum Gallicum Sinarum imperio bella indicturum, Sinenses non recusaturos. Haec ubi fiant, quid de nobis? Utraque ignis ex parte. Futurum in arbitrio Dei; nos relictis sumus ad lacrimas non quidem pro nobis, sed pro fidelibus, qui omnium egeni aetherem querimoniis et lamentis complent. Atque eheu res omni lacrimarum fonte plangenda!»

Haec ille scribebat. At nunc res in apertum ex abditis, sub dio e cavernis, in agros e luco et recessu venit. Iamque Europaeis ingens laus, et coram Deo iudicium decorum est, meruisse Sinensium odia, quia praesertim Christiani, quia triumphale Crucis vexillum nomenque et baptisma praeferunt quocumque pergant.

Atque hic liceat, antequam praeposita exponamus, duo saltem notare gravissima; historicum esto primum. Millennio ab Incarnatione primo vertente, bellum immane ac diuturnum contra Arabes Turcasque imposuit Europae ferendum Deus; ex Asia hi; qui si vicissent, Europa succubisset Asiae. At in signo Crucis vicere Europaeae gentes, et, prouti olim in Graecia, Miltiade primum, Themistocle duce postea, historiae lex constituta fuit, quaeque a Romanis inde suscepta rediit viguitque sexcentis, victoria stetit Europae. Nunc iterum, eiusdem Providentiae aeternae redeunte mysterio, prope dicam imperio, Europaeae gentes in Asiaticum, multitudine hominum innumerable, idololatrium genus aguntur, odio, non mi-

nus quam Turcae et Arabes, contra Christum et Europaeos flagrans; aguntur bellica praeferentes vexilla inscripta Cruce; aguntur in regnum ingens, cruentum tot apostolorum christianorum caede, regalium legatorum sceleratum excidio, non minus quam Turcae et Arabes olim, in nostra quaeque atrocissime saeviens. Scimus Europae praelianti pro Christo fuisse praemia tum illa supereminetia principatu, quo ceteris orbis terrarum regionibus longe antecelluit, tum America et Australia dono quodam oblati, ut illa Abrahæ benedictio Europae maneret, qua « filii eius multiplicarentur sicut arena, quae est in litore maris ». Quid igitur hoc pro bello inito Europae futurum? Quodnam hanc decorabit et manebit praemium? Impleta cerno, implenda colligo, quamvis, quo pacto fient, oculis in futura lippis et coecutiens non bene discernam. Illud autem, historia duce, probe autumo, scilicet poenam, siqui desciscant, desciscantibus eam non defuturam, qua Byzantinum imperium olim et subrutum et contritum est. Caveat id providus vates: « Ecce (Deus meus), qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te »; numquid nunc primo mentietur David, quem historiae nunquam mentitum esse testantur?

Alterum vero est, quod animadvertendum censeo et recogitandum pensandumque prudentibus velim, iisque praesertim qui rerum curam publicarum gerunt, atque in earum administratione tum civili tum militari versantur, gravissimum in patriam crimen et parricidii prope fines attingens; nempe *Europaeos et vendidisse Sinensibus et acuisse ferrum, quo Europaei melius perirent*. Quos enim cives nostros in Sina vis Martis perculit, eos chalybs, plumbum, pyrograna, igniballistae, europaeo metallo, europaea materie, europaeis manibus, et arte confecta, et militaris europaea scientia perculerunt. Horrendum dictu!, pecuniae cupidum, avari, insatiabiles dederunt inimicis arma et Palladem, quibus fratres delerentur, quibus Europaeorum penes externos exterminaretur auctoritas! Scelus, flagitium, et siquod auditu factuque horribilius est, omne simul nefas! Proh lucra pulcherrima, decorosissima, utilissima Europaeorum venditorum, quae tot belli impendia, tot classes, tot vitas europaeas late rependunt!... Quod enim armis nostris late doctioribus patebat undique et ubique imperium, nunc praeruptum, et fere inaccessum experimur, postquam avara Europaeorum manu nostris armis ac disciplina munitum est!

Caveant igitur qui consulere sibi, qui prospicere rebus publicis, regnisque debent. Numero et opibus impares, sapientia, disciplina, inventis bellicis habemur pares, forsitan etiam praestamus. Quid si bellicis evulgatis arcanis, si disciplina tradita, si communicata sapientia congregiamur? Scilicet obruemur numero, subiiciemur opibus; neque nobis semel victis erunt induciae, neque erit pietas, neque erit nostra humanitas illa, quam nos victis exhibere solemus. Ubi coepti erimus undique premi, ad internecionem prememur, satisque miseris si Europam ipsam, repulsi ab Asia profligatique, tueamur. Numquid Romanum ruit imperium, nisi postquam Romanorum exercituum disciplinam barbari in Romanas legiones acciti didicerunt? Alaricus, Totilas, Odoacres, Theodericus haec indicant. Omitto reliqua populorum ducumque nomina: intelligenti pauca.

Sed iam ad ea, quae nostra sunt, veniamus; atque utinam haec lugubria hisce tantum paginis contineantur, neque in posterum resumenda sint tristi enumeratione trucidatorum! Quos quidem Europa, superbiens virtute filiorum suorum, Superum coetibus

inserit, propterea quod pro pietate, pro cultu, pro religione, pro humanitate dimicaturi inermes cucurrere inter inimicos armatos, vitae se devoverunt aerumnosae atque amarissimae, valedixerunt parentibus, consanguineis, amicis, patriae, opibus, bonis, haerediis, postliminiis, et cupientes mori et esse cum Christo a quo legem dilectionis acceperant, egeni, angustiati, afflicti, sublimia exempla magnanimorum sequuti, sublime posteris exemplum suum reliquerunt, et operosam in bono vitam morte luculentissima, effuso sanguine, coronaverunt. Hos quoque nos memoramus, tum pro merito egregie factorum, tum quia fuit etiam ex iis qui nostri huius commentarii paginas, in albo sociorum relatus, legebat, tum quia fuerunt, quorum amicitia fruebatur, epistolis gaudebamus, et, si quando, et quoties e crudeli illa terra redirent, colloquio dulcissimo laetabamur. Ah! neque nos recordatio deserit illius diei moestissimae, qua unus ex iis, **Antonius Fantosati**, in regione sinensi Hu-nan episcopus nuper et martyr, nostro e complexu lacrimans divellebatur! Erat aliquid eius in ore, in fronte, in sermone, in oculis, quod, ille quamvis non confiteretur aperte, attamen de obeundo martyrio pollicebatur et fatebatur. Sciebat se quaerendum in caedem, designatum se iam oculis *mandarinorum* ad suprema praesentebat. Ac tamen, Regulus alter, illuc maturabat abire, unde fas non esset reverti:

*Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et socium reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia,
Diudicata lite, relinqueret
Tendens Venafranum in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum (1).*

Nunc autem quoniam de venerabili hoc episcopo, amicoque suavissimo, et socio nostro recordatio has inter paginas cessit, ab ipso initium martyrologii faciamus. Ad Trebas in S. Maria De Valle Antonius Fantosati, anno 1842 postridie idus Octobr., natus est. Inde adolescentulus Romam profectus Minoritarum se familiae devovit ut inter eos, qui Christum idololatris annuntiant, haberetur. Semel domum rediit, anno scilicet 1888. Brevi domi moratus, Sinas repetivit, atque apud eos degens iterum paulo post episcopali munere auctus est. Neque pusillus neque procerus corpore, niger barba densusque, imperatorio vultu eminebat, atque in excessu, oculis, quid apostolatu foret ostendebat. Nunciante electricle Shanghai in urbe interfectus narratur!

Alphonsus Favier episcopus. — Hic ex presbyteris, qui Lazaristae appellantur, Pekini morabatur, episcopali et illic fungens officio. Quadraginta abhinc annis apud Sinas iugiter fuerat; neque laboribus, neque curis parcens ullis, cathedrale insigne templum erexerat, nosocomium, monialium, quae caritati, sororum nomine, inserviunt, domicilium, scholasque plures constituerat. Natus in dioecesi Divionensi, ex patritia Burgundionum familia, anno 1837; duobus moratus apud Lazaristas post annis, anno 1860 ad Sinenses Evangelii praeco appulit. Parochus primum in ecclesia Pe-Tang, ita moribus, prudentiaque placuit, ut imperatrix illius opere usa sit, uti in urbem imperii caput quidquid christianam spectabat dioecesis a Pe-Tang transferretur. Quum igitur omnia complexisset magna cum laude apud S. Sedem et Gallicae reipublicae praesides, extincto episcopo Sarthou, vicarius apostolicus Tche-Ly renunciatus est, atque hoc gerentis munus magni fuit praesertim

(1) Hor. Od. lib. III, 5.

in imperatorio iussu, quo (satagentibus cum eo Pichon, Galliae legato, et Fong-Lou, sinensi viro) iura episcopis et Evangelii praeconibus in universo Sinarum imperio constituta, rataque fuerunt. Inter maximos ducebatur, quasi unus e principibus provinciarum Sinensium administris. Qui ergo cum tanta fecisset pro christiana religione tuenda, mirum non est si inter primas victimas quaesitus adnumeretur. Itaque in illo cruento tumultu primo Pekini exorto primus morti saevissimae traditur. Mox post eum turbo ille furens persecutionis, qui paucis diebus omnia, quae ducentis annis Christiani perfecerant, abstulit, aequavit solo, diruit, a fundamentis abrasit.

Laurentius Guillon episcopus. — Et hic martyr addendus numero, quos ira Sinensium saeviens contra Christum et populos Christo mancipatos horrifice trucidavit, non usa torture, non carnifice, sed ipso regionis praefecto. Neque in unum eum facta sunt haec in Moukden; viae enim in caelum sex et socios habuit, septenariumque numerum sacramento martyrii confirmavit. Cum eo quatuor Evangelii praecones, duaeque piae virgines animam deposuere libenter. Ipse autem in oppido Chindrieux, ex archidioecesi Camberiacensi in Sabaudia, anno 1854, die Novembris mensis octava ortus, anno 1878 e seminario Lugdunensi in Mancuriam ad annuntiandum Christum profectus est. Quae ibi ad credentium gregem erant, ipso satagente plurimum, et eo convaluerunt, atque creverunt, ut regionem multa baptizatorum millia compleverint. Hinc in provincia Moukdensi vicarius apostolicus anno 1897 constitutus, tantoque muneri obeundo praefectus est primus Guillon anno 1889, duo de vigesima mensis Decembris die. Hic autem obito martyrio fortiter solemnissimas dies exaltationis et nativitatis suae caelo terrisque sacravit.

Farlin episcopus. — Plures in Gallia familiae carissimos sibi deflent, quos recentia apud Sinenses excidia caede abstulerunt illata. Has inter illa, qua ortus est Farlin episcopus, coadiutor in Pekino urbe, quinque et quadraginta abhinc annis. Qui sororibus duabus, matricumque cum scripsisset epistolam, haec ad eas ipso pervenit tempore, quo martyr efflabat animam! Digna martyrum stilo verba, digni martyre sensus. Iuvat aliquid ad memoriam virtutis referre. « Quamplures ex Christianis hic », inquit (Pekini autem morabatur dum ista notabat), « absumpti sunt ferro persecutorum, neque modus, neque finis odio saevientium propior adhuc. Haec ipsa urbs gravi in discrimine versata est, et pessima supervenissent, nisi legati Europaeorum gentium, Pichon legato nostro curante, obstitissent. Moniales et Evangelii praecones plurimi caede, obruncati, discerpti atrocissime, perierunt. Vos autem non fracto animo state, invicto persistite... Laeto me credite animo moriturum, si pacare omnia sanguine meo fas mihi fuerit... ». Tum, postquam de spe pacis nonnulla tulit, iterum addit: « Miseris fratribus nostris, qui sunt in provinciis, durissima impendent, et haec persecutio saevius quid praefert. Quanto me gaudio afficiat mors, qui non mihi, sed pro iis patior, quibus prodesse non possum, quibus levamen afferre nullum in praesentiarum valeo, infernis circa nos bacchantibus ubique et undique furiis ». Haec ille, sive ingruentis praesagus necis, sive cupidus coronae martyrum, dabat, qua, fumantibus circa et ardentibus praeconum Evangelii sedibus, redimitus animam Deo reddidit cruore suo purpuratum.

Nunc ego, scriptis hisce meis finem facturum, magnum addam. Siquid est in me ingenii in perspicendis rebus humanis, aliquid reor esse commune

inter atrociam et eorum, quorum parricidii fuit, alii, sic natis quippe, bus, libera forpunis, in quifallar! Siquis optimum facie

DE ING

DE ingenua net, dequ in nostro hoc cderim Sertillan ad rem afferenrale, ea enuclea

stat, quippe qu scripta mihi vi Quae profa disciplinam rela nis sunt, simul diuturno studio dum, interdum denegata, ut c

ris, cuiusvis fre scribendive libe sententiam toto gnat, nexum in que ingruere ap omnes (est aut buta) certa regu et corripiantur, e iis contra resolu frenato impetu

Detrimentum dilapsae vires v mos alliciunt. A hominem a prae manae bono divi simas bonis artib eas, natura quac tandam pronas fi

Attamen cavendum plane ea mente pertra provehant. Neque sices peritus ad n curandam tenent metam, non sine habere, immo, litterarumve ope maiores existima cre, scripta vel malo occurrunt.

forma saluberrim coniuat amice Contra tutum natura argui mor limode ab iis lac humanae perfect naturae disciplinae naeque artes nec honestatem pra contra mores cri citio admittuntur, guere: nam vel n positus, procurant

inter atrociam eorum, qui *Boxers* apud Sinas dicuntur, et eorum, qui apud nos *anarchici* vocantur, quorum parricida arma noster ipse Rex expertus iam fuit, alii, sic minae sunt, brevi experientur. Perturbatis quippe, regum caede suorum, Europaeis rebus, libera foret Sinensibus potestas, atque ea impunis, in quibusvis atrocissimis patrandis. Utinam fallar! Siquis vestrum introspicere altius voluerit, optimum faciet vel si me refellerit.

SENIOR.

DE INGENUARUM ARTIUM HONESTATE

De ingenuarum artium officio prout mores attinet, deque iis ad bonum deducendis non semel in nostro hoc commentario attigi. Cum vero nova viderim Sertillanges, Gallum sacerdotem doctissimum, ad rem afferentem, opella cui titulus *L'art et la morale*, ea enucleare quodammodo atque adnotare praestat, quippe quae aequa severitate recogitata ac descripta mihi videantur, lucidoque ordine digesta.

Quae profecto inter liberales artes et morum disciplinam relationes intercedunt, subtilis disquisitionis sunt, simulque maximi ponderis. Ea exagitata diuturno studio unaquaeque vidit aetas, aucta interdum, interdum imminuta, quandoque etiam omnino denegata, ut commodior et solutior, corruptis viris, cuiusvis freni impatientibus, scalpenti, pingendi, scribendive libertas esset. Hanc autem postremam sententiam toto animo Sertillanges optima laude oppugnat, nexum immo et coordinationem inter utramque ingruere aperte contendit. Humanae enim vires omnes (est autem artibus ingenuis vis summa tributa) certa regula et lege gubernari opus est, quibus et corripantur, et cohibeantur, et dirigantur ad finem; iis contra resolutis, lamentabile detrimentum ex irrefrenato impetu facile paratur.

Detrimentum vero eo ferme est gravius, quo dilapsae vires validius pollent, vehementiusque animos alliciunt. Atqui ea posita est artibus regula, ne hominem a praecipuo suo fine atque a societatis humanae bono divertat. Ecquis enim illecebras validissimas bonis artibus concessas denegat? Ecquis immo eas, natura quadam sua, in sensus voluptatem excitandam pronas fieri oppugnet?

Attamen cavendum ne quid nimis, nec requirendum plane eas et semper et a quovis artifice ea mente pertractari, ut bonum directa opera sua provehant. Neque enim pictor, nec sculptor, nec musices peritus ad morum emendationem praecipue procurandam tenentur. Possunt haec quidem suam veluti metam, non sine maxima laude, prae oculis artifices habere, immo, hoc seposito omnino fine, artium litterarumve opera inepta otia revera fiunt, prouti ea maiores existimaverunt; verum id assequi plane, pulcre, scripta vel efficta videmus, dum nullo saltem malo occurrunt. Est enim pulcrum quidquid, eiusque forma saluberrima animi delectatio, quae cum bono coniurat amice atque in eius augmentum late pollet.

Contra tutum est asserere, necessario ex artium natura argui morum disciplinam probitatemque nullimode ab iis laedi oportere; siquidem, nihil, quod humanae perfectionis ac beatitudinis est, imminuere naturae disciplina, vel philosophia, vel litterae bonaeque artes necessario tenentur et ipsam morum honestatem prae omnibus tutandam suscipere. Quae contra mores crimina in ingenuarum artium exercitio admittuntur, horum praestat duas species distinguere: nam vel malis illecebris, data opera arte propositis, procurantur, vel soluta nimis vitiorum re-

praesentatione. Atqui de prima signorum scriptorumve ratione, quod perniciosissima sit, nulla quaestio, ita ut perpensis etiam quae haud raro in ipsis reperiuntur, pulcritudinis eximiis formis, de criminibus potius in mores admissis, quam de artium operibus feratur iudicium, actaque causa sit. Haec autem parata non semel atque infausto conatu quotidie parari nemo neget, plurimosque scriptores artificesque fuisse qui suum ingenium venale quodammodo fecerint, ut malis voluptatum illecebris copiosum sibi lucrum congererent. De his autem Gallorum quidam celeberrimus pulcritudinis investigator magistratibus potius, quam litteratis provinciam derelinquendam censuit, atque lege Iulia de adulteriis, non criticis regulis, quodammodo inquirendum.

Alia tamen sunt suapte natura innoxia, quae tamen prouti fert corruptum hominum ingenium quamdam nocendi vim lectione vel spectatu inducunt ac retinent. Huic persaepe discrimini pictoriae vel sculptoriae artes occurrunt, cum nuda hominum membra sibi effingenda sumunt. Qua quidem de re hanc Sertillanges doctrinam paucis enucleat, nihil plane in nudis formis simpliciter effingendis minus castum reinesse; verum malesuadae hominum menti pericula offensionis inibi plurima parari. Ex adverso huiusmodi studium artificum non denegandum, nisi universam scalpenti pingendive peritiam delere placet.

Nos autem haec, quae danda operum naturae sunt, frustra renuere contendimus; ius tamen huiusmodi studia atque experimenta exponendi aegre admodum concedimus. Paganorum enim quotquot sunt dii deaque omnes sine magno ferme artium detrimento abditos manere opportunius arbitramur, quod saluberrimum quidem spectantibus foret. Plebis enim rude ingenium prae artis peritia atque calliditate, quas perraro discernit, malas tantum illecebras plerumque haurit, indeque noxia experitur incitamenta. Sed artes omnes, sive calamo, sive scalpro utamur, maxima praestant dignitate, qua quoties sese expoliaverint, toties sua ipsius attributa, origines, naturam denegabunt. Etsi enim artifices non cogantur bonorum morum praecones fieri, sunt tamen quasi cuiusdam electissimi muneris sacerdotes adlecti, ut inter homines summae Divinorum operum pulcritudinis interpretes fiant. Haec Socrates, haec Plato bis mille abhinc annis plane intellexerant; haec christiano homini profitenda, artificio adhibenda semper et ubique manebunt.

I. ANTONELLI.

"UNDE HAEC INCENDIA?"

... Saepè,

Si quaeras causam, parva favilla fuit!

LUBET argumento gravissimo initium carmine facere, quo ad unguem unica sub imagine eleganter omnia exprimuntur, quadam tradita allegoria in singulas res mirabiliter prona. Quemadmodum enim in physicis rebus, quae mole ingentia apparent, exiguis constant, si mentem ad elementa converteris; ita si principia requiras in iis, quae interdum quassaverunt imperia, bella excitavere atrocissima, humano generi calamitates maximas intulere, exiguam reperies causam, quam nemo subesse, nemo tot parem cladibus iudicasset. Atque hoc et sapientis est, et sapiente dignum; siquidem, ut ait poeta:

... pulcrum est in principiis, in origine rerum
Defixisse oculos et nobile mentis acumen.

Patebit enim physicum et morale regnum iisdem fere legibus contineri, quas auctor idem imposuit,

et quae imposito ordine perseverant, omnia autem reduci mirabiliter ad Unitatem, quae immota manens quaeque pro lubito movet, movendi virtute praedita sempiterna. Et profecto nemini dubium accessione et cumulatione minimorum magna constare;

Adde parum parvo, parvo superadde pusillum,
Tandem de parvis magnus acervus erit.

Quotidie hoc est prae manibus et ante oculos; constat enim guttis oceanus, atomis orbis terrarum, at altius prospicienti miraculum est ex aëriis elementis, quae gas nuncupamus, oriri corpus, quod fluat ex fonte, decurrat rivo, mox flumine potenti navium dominetur in arva, undet oceano. Mirum est ex immixtis corpusculis, quorum singula nihil idoneum tonanti ac fulminanti virtuti habeant, scilicet ex nitro, carbone et sulphure «pyrograna» confici, quae incensa subvertant moenia, disiciant rupes, conquassare omnia possint. Undenam hoc quod congregata et collecta habeant, quod singula non habebant? Ea fortassis lege, qua olim «senatores boni viri, senatus mala bestia»!

Nemo autemet in sermonem tam gravem me lepida ad recreandos animos intulisse. Proposito tenacior haereo; sermo enim est de causis, quae, singulae dum considerantur, ineptae prorsus ad effectus quosdam videntur, attamen hosce interea non praeter expectationem modo, sed vel praeter opinionem et suspicionem, immo contra, assequuntur.

Quid est enim inter tot excidia, strages, incendia, quae pestifera Langobardorum gens in Italiam invexit, quaeque duobus atrocissima saeculis perennavit, et foeminam, imperatoriam licet, de Narsete duce iocantem levitate illa muliebri, qua voluisset hunc lanae et lini suis distributorem ancillis? Quas ubi voces rescivit (atque utinam non relatae fuissent!) Narsetes: «Dabo», inquit, «imperatrici telam et filum, quibus diu operam duram navet». Langobardos, quos ille terrore nominis a finibus nostris arcebat, accessivit; et omnia flammis, rapina, sanguine obruta nostra fuerunt.

Florentiam, Etruriam, omnem fere Italiam civilia praelia saeculis occuparunt. Undenam haec orta sunt pessima omnibus? Ex uno Bondelmontio, qui puellae, quam sponderat, non praestitit fidem. Hinc Mosca Lambertio, in consanguineorum puellae concilio, sententiam proferente: «Unicuique facto caput est», adolescens occisus; hinc ad ultionem concursus; hinc ad arma itum est. Familiae patriciorum, mox qui apud illas erant privati homines, mox qui etiam alieni et externi utrisque, prout ferebant odia inter eos, aemulationes, vindictaeque sub cinere doloso latentes, eruperunt, et omnia sanguine redundarunt.

Salernitanae urbis historiam olim legens, eadem, tempore Ruperti regis Neapolitani, reperii. Ibi enim civile bellum decennio exarsit calamitatibus publicis luctuosissimum, quo florens illa civitas miseris paene innumerabilibus obruta est. Undenam? Eadem ex causa qua Florentiae; nam pro fatali puella inter Santomagnum et Capogrossios irae flagrarunt; arrepti gladii, quotidianae in vicis, in viis, in plateis pugnae conserebantur, expugnatae domus hic, illic, expilatae, incensae; flammis, fumo, ruinis omnia occupabantur. Quid autem proximum habet ineundarum nuptiarum fides cum civilibus praeliis, cum laniena civium, cum subversione civitatis?

Pueri legimus - quisnam illa deposuit? - cum latinis elementis operam daremus, apud Cornelium Nepotem, inquam, legimus Persarum regem Darium in Graecos immisisse exercitum ducibus Dati atque

Artapherne, qui classe quingentarum navium, peditum ducentis millibus, ac decem millibus equitum uterentur; interseruisse autem causam se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio... Causa tanti belli longe alia fuit, quam Marathoniae pugnae occultavit victoria. Medicus quippe graecus, reginae servus, eique carissimus, patriae caritate cum deperiret, et modum quaereret, quo libertatem simul adipisceretur et patriam, herae adesse cepit multa saepe dictitans de Graecia subiicienda, deque ficis Athenarum suavissimis. Regia uxor viri sui ambitionem, cupiditatem gloriae et latioris dominationis blandiloqua verbis excitare frequentibus. Omne tulit denique punctum, ac tot millia gentium, tot urbes, tot naves perierunt... quia medicus patrium litus, et patrias ficos optabat.

Immo videte nunc quo res perrexit. Eo bello coagmentatur Graecorum civitas, ea pugna Graecia suas noscit vires, et, rata quid posset, dum ultio susceptae cladis Xerxem commovet, sola magno regi resistit, Europa praevallet Asiae, et iniuriarum ultor Alexander Philippi Macedonis Persidem Graeciae dominationi subigit. Quod quidem ne cogitatione quidem tentasset, nisi medico illo guloso instigante, prioris et principis belli praeliorumque faculae coruscassent et conflagrassent.

Et quoniam de Macedonia sermo est, octoginta circiter ante Philipum hunc, Alexandri Magni patrem, annis, Macedonum regnum divisum fuit, non iniuria, non magna aliqua causa, sed foeminae vindictam cupientis alloquio. Haec enim Meleagri, qui et provinciae praefectus extremae, et magister equitum, uxor a rege Macedonum non ea, qua par erat, urbanitate habita, eo maritum adigit, ut a rege deficeret, et adversus arma conferret, regnumque diriperet armis, atque divideret. Ecquid mulieris, etsi pulcherrimae, etsi acutioris ingenii, etsi superbae indolis, cum tot direptionibus, incendiis, et praeliis? Dicunt Elisabeth, Austriae imperatricem, atrocissimo nuper extinctam scelere, imperatoris cuiusdam ore laudatam tum indole egregia, tum forma superante ceteras, Vatiniani odii insciam, succendisse ignes, quos excitata anno 1859, et 1866 praelia sanguine non extinxerunt.


Ludovicus XIV, Gallorum rex, cum iudicasset in familiari colloquio de ornatu cuiusdam fenestreae, quae erat in aede regia *Trianon*, Louvois verba regis aegre tulit. Inde dissentio inter duos, inde bellum, quo Europa penitus arsit, cuique nomen a « successione Hispana ».

A. Voltairius in libro, qui inscribitur *Siècle de Louis XIV*, narrat dynastam Marlborough negasse reginae quasdam chirothecas nova prorsus arte confectas, eandemque sparsisse ad contemptum nonnullas aquae guttulas super vestem nobilis foeminae Masham. Quis credet? Illa de gratia regum decedere; mox erupisse bellum, quo tot regnorum conditio immutata, labefactata, et subversa est in Europa.

Narratur insuper aulici cuiusdam ambitioni debitum excidium Galliae anno 1870. Quid si nunc reperiamus Sinense bellum incendi artibus et lingua dolosae mulieris? Novumne est Neronem Poppeae lingua et incitamento, Tiberium Seiani artibus saevisse?

Absolvam. Immania facta saepe non agentis, etsi potentissima, dextera concitat, sed vilissimi interdum familiaris lingua, sed domestici alicuius, sed amici nequam, quibus longe alia mens, longe alia cupiditas; et ne suspicio quidem incendii, quod ex tam parva favilla oriatur.

G. P.



PUGILES

GRAECAE ARTIS OPUS

Qui heic post longam luctam conciderunt, eos graeco scalpro novimus insculptos, sed latet auctor, latet aetas, latet pugilum nomen. Verum eo magis oculis mirantium summum enitet operis praestigium, summa peritia, pulcritudo, gratia, quam Graecia obtinuit. Non una tamen; memini enim alias aemulos stantes nos proposuisse (an. III, n. V), Canovae manus, nostrae aetatis gloria summa, quos sculpsit. Apertum igitur cuique arbitrium, hoc antiquorum magisterio enatum, opus plane cum simulacris illis conferendi, quae Antonius Italus noster, omnis veteris peritiae non modo assecla princeps, sed quasi sacro prodigio renovator, Gratia favente fecit.

LAEIUS.

Tua quod nihil refert, percunctari desinas.
(TERENT. in *Hecyra*).

EX GALLIA

De omnium rerum Expositione Parisiensi.

IV.

nostris aedificiis, quae superiori epistola notavi et fortasse descripsi, profecto saltem describere tentavi, recto pergemus itinere ad pontem, cui Russi Caesaris Alexandri III nomen placuit imponere, et quem Nicolaus II, Alexandri filius Augustus, angulari primum posito lapide consecravit, ut redintegratae amicitiae, novique inter duas potentissimas gentes foederis monumentum esset perenne, et advenientis Parisios Augusti recordationem feliciter in saecula perennaret. Romano pons ausu, at Gallica celeritate confectus atque perfectus, unico arcu Sequanae aquas centum septemque metra spatiantes agmine tranat audax, « Campos Elysios » et « aequum Invalidorum » coniungens; ita porro ut labens flumen non recto angulo intercipiat, sed paulisper obliquo. Haec autem omnia fuso chalybe facta ad utraque capita pontis innituntur aedificatis molibus ex caemento et lapidibus et lateritiis et marmoribus, quae dum ad pilarum modum assurgunt, quatuor columnis ionica disciplina dolatis singulae decorantur. Pilis hisce subest basis enormis, quae oneri scilicet sustinendo par esset, cui quatuor sunt simulacra venientibus in pontem obversa, singula singulis, atque ab hisce allegoria nobilis, quae Galliae quatuor in artibus indicaret aetates. Sic in Campos Elysios prospicit Gallia hodierni temporis, et aevi medii; in Campum Invalidorum Gallia prospicit a Renascentia optimarum artium, et quae fuit rege Ludovico XIV. Ornantur intercolumnia anaglyptis, et statuae giganteae eminent in summis excelsae, modo in globos dispositae, modo solae. Quatuor leones, hi autem immanes mole, attamen pueris frenantibus dociles, sunt apud quatuor stelas, egregii opere, in capitibus pontis, quasi vigiles atque custodes, qui tamen pons aereis transemnis ornatur, floribus, clypeis, armis, quantus est hinc et inde, et nocte quingentis atque octo lampadibus, ad modum candelaborum evectis, electricle lucentibus late longeque fulgurat atque coruscat. Sobrius in ornamentis, atque his ad normam tantae molis et loco et operi consonis, habetur pons hic quasi monumentum Expositionis ceteris antecellens, idque potissimum quia, ubi in medio ponte sies, iucundissima oculis copia videndarum rerum est, sive Expositionis intuearis loca trans flumen, sive oculos citra flumen convertas.

Quo ponte praetergradiens a Campis Elysiis in sex viridaria, quae in limine totum occupant aequum, admirationem cohibere non possum quoties considero haec in solo non esse, sed super ferreos fornices quibus subterranea tegitur statio vaporiveharum et electriveharum, tria hinc, et inde totidem ad praecipuam viam. Tanta enim germinatione fron-



descunt arbutis, ilicibus, ac topiarum bilonicos hortos palatia manufacta pergunt lata metris septa aedibus, aequo iucundis. Quae autem sacra palatia sunt quadra spatia operantes eos in hortos porticibus, pilis, sed decoris, a fornicibus multiformi colore omnia nocte lucet lampades praecipue et in diversa et Quod autem laevae ex integro quid matibus, in tapetibus, in petasmatibus, quae toto orbe laudatur.

At « via Nationum » quanae ripam apud tour-Maubourg » « Quai d'Orsay » mentorumque a quadam aemulatione cum a ponte Invalidorum a sinistro Sequanae plex aedificiorum via latissima arboribus octo metris inferius duplicem ordinem illustrem fecerint, tum naviculis Saepturba vectorum, moenianum est, fruuntur ad spectum ibi inambulans, quibusque degustandis generis.

Exterae autem sibi propria ostenderent, quod lebratur, idemque demigrantibus et enim exponendis alibi latiore campum vos, qui alibi mira praeter Mexicanos in orbe sunt, su-

Parisiensi.

epistola notavi
saltem descri-
d pontem, cui
placuit impo-
lius Augustus,
vit, ut redinte-
potentissimas
erenne, et ad-
onem feliciter
aret. Romano
illica celeritate
perfectus, unico
aquas centum
spatiantes ag-
ax, « Campos
quum Invalido-
; ita porro ut
n recto angulo
alisper obliquo.
a fuso chalybe
capita pontis
tis molibus ex
dibus et lateri-
, quae dum ad
assurgunt, qua-
nica disciplina
decorantur. Pili
enormis, quae
inendo par es-
sunt simulacra
ntem obversa,
atque ab hisce
quae Galliae
s indicaret aeo-
Elysios pro-
erni temporis,
Campum In-
prospicit a Re-
um artium, et
udovico XIV.
umnia anagly-
igiganteae emi-
xelsae, modo
e, modo solae.
hi autem im-
nen pueris fre-
unt apud qua-
s pontis, quasi
s aereis tran-
s, quantus est
e octo lampae-
ctis, electricle
e coruscat. So-
ormam tantae
pons hic quasi
ecellens, idque
sies, iucundis-
st, sive Expo-
e oculos citra
mpis Elysiis in
pant aequum,
quoties consi-
r ferreos for-
o vaporiveha-
inde totidem
inatione fron-



“ Pons Alexandri III., in Expositione Parisiensi.

descunt arbutis, floribus, plantis, myrtetis, lauris, illicibus, ac topiariis operibus, ut pensiles vicisse Babilonicos hortos videantur. Circum viridaria sunt palatia manufactis nostratibus destinata, dum via pergit lata metris quinque et triginta longo tramite septa aedibus, aedificiis, arcibus, domibus arte mira iucundis. Quae autem nostratum opificum industriae sacra palatia sunt, duodecim millia metrorum in quadro spatia operiunt, triplicique pari fronte ridentes eos in hortos eminent, atque inter se cohaerent porticibus, pilis, solariis omni ornamentorum genere decoris, a fornicibus vitreis et iridescentibus ad tholos multiformi colore fulgentique depictos, per quae omnia nocte lucent mille et sexaginta ex electricle lampades praecipuae, praeter eas, quae minores sunt, et in diversa et in obliqua flumina lucis emittunt. Quod autem laevum venienti a ponte est palatium ex integro quid possit ars Gallica ostendit in stromatibus, in tapetibus acu pictis, in aulacis, in peripetasmatis, quae geminorum marte Gobelinorum toto orbe laudatur.

At « via Nationum » nos avocatur in sinistram Sequanae ripam apud quadrivium, cui nomen: « Latour-Maubourg ». Huic per aggerem, qui dicitur « Quai d'Orsay », duplex est aedium ordo monumentorumque a singulis gentibus orbis totius felici quadam aemulatione conditorum. Totum obtinet locum a ponte Invalidorum ad pontem Almae, itemque a sinistro Sequanae litore et a via « d'Orsay ». Duplex aedificiorum series ita producta est, ut inter sit via latissima arboribus decorata. Subtus Sequana fluit octo metris inferior, quod ita architectis arrisit, ut duplicem ordinem solariorum signino pavimento illustrem fecerint, quorum inferius alterum dat aditum naviculis Sequanam traicientibus multa cum turba vectorum, alterum, superius nempe, quasi moenianum est, ubi sub tegmine frondium laeto fruuntur adpectu fluminis, nautarum, urbis qui die ibi inambulans, qui nocte coenis dant operam, vinisque degustandis, libandis, potionibusque multigenis.

Exerae autem gentes hic edita singulae voluere, sibi quae propria monumenta, quae advenis aliquid ostenderent, quod apud unamquamque praecipue celebratur, idemque partem patriae suis civibus huc demigrantibus et invisentibus redderet. Quidquid enim exponendis operibus, manufactis idoneum esset, alibi latiore campo patebit. Hic itaque, praeter Italos vos, qui alibi miraculum illud vestrum aedificastis, et praeter Mexicanos, gentes omnes, et populi, quotquot in orbe sunt, sua, ut ita dicam, transtulere. Qua-

propter Turcae ediderunt palatium ad instar eorum, quae coram Bosphoro ad Byzantium lucent; foederatae septentrionalis Americae civitates Capitolium, quod Washington est, non ipso excepto ducis magni simulacro, quin-quaginta super duo metra extulerunt; Austria tribus praestat aedificiis, quorum alterum Austriaci ducatus indolem, luxum, opulentiam profert; alterum Hungaricum dat monumentum,

quod arcem Kormoecz turri insignem ostendit; tertium denique Bosniae et Erzegovinae ingenium reddidit, campestris praebens domum omnibus rusticis adminiculis, a fonte ad gregem et hortum, quasi munitam, certe ornatam. Anglia retulit ad unguem castellum dynastiarum suorum « Kingonton House » ad « Bradfond-on-a-vo » in dominatu Wileshire, ambitiosum et cuivis compar laudi aedificium. Belgicum regnum reddidit Audenardensis municipii aedes, gothici ritus exemplar et specimen, totum in pinnaculis, totum in floribus, in simulacris totum. Norvegienses enorme lignis aedificium confecerunt, quod auro, minio a pede ad verticem conscripserunt. Germania hic aedificatam voluit quamdam veterum dynastiarum suorum domum, tectis in proclive labentibus, turri campanaria in medio ad nubes vecta. Exteriores in ea parietes udo tectorio picti aliquid referunt, quod ipse in Italia vestra intuitus sum. Fertur de aedificio hoc multa Wilhelmus Augustus curasse, atque in istud voluisse illata opera Gallicorum pictorum, qui xviii saeculo musis suis et Beroliniensia et Potsdamiensia musea ditaverunt. Nec sine praeconio vos abire patiar, Hispani labores, qui tam bene redditis quae in frontibus fulgent athenaeorum vestrorum tum Hispali, tum Compluto.

Singula si persequar, aeternus sim; sunt enim e Graecia artes, e Servia, e Dacia utraque, e Rumania, e Finnis, e Persis, e Lusitanis, e Peruvianis, e Transvaalianis, e Danis, ex Andorrae, et S. Marini civitatibus, e Lucemburgensi regione; denique ex omnibus gentibus, tribus et linguis, quas audiens circumsonantes dum ambulas, facile te credes in Babelicam turrim, vel saltem in proximum huic campum adductum.


Sed domus ingens, ad fluminis laevam, decernebatur iis omnibus, quae ad bellum sunt ac fuerunt; neque negabo grave et severum futurum fuisse studium respicienti tot arma a clava, ab ariete et scala ad ea tormenta bellica, quibus hodie muri ultra decem chilometrorum spa-

tia disiciuntur, si gentes omnes huc sua contulissent. Sed quoniam, idque iure, plurima inventa plures populi reservarent arcana, ne propriae defensionis modi paterent, censuere, quibus ista erant, ad aliud, simile tamen et propius, tantum convertere, et consecrare aedificium, quod ceteroquin admirabile non minus exterius est. Exhibet quippe pinnis ac turribus medii aevi castellum, visu grave et minax; interius autem ostendit ea quae ad regem Ludovicum XIV in bello fuerunt, et plurima quae nunc ad bellum sunt, ab areostatis ad immania illa tormenta bellica, quae Creusot officina edit.

Inde, discedentes in Campum Martium, descendimus in illud iucundissimum experienti portentum, quod nos gallice dicimus: *trottoir roulant*; dicitur autem latine, meo iudicio, optime (ne irideatis, quaeso, prophetanti Saul!) « via vians ». Nam equidem via est pluribus distincta lineis, in qua ubi consistas, non tu ambulabis, sed via ambulabit te vehens, pluresque sunt divisiones viae ipsius, quarum altera maxima celeritate procedit, altera minori, tertia minima, demum nullus, prope antemurale fluminis, est motus, ideoque tu abiens contra nunquam pervenis, secundus progrediens velocitate tua stupes, et consistere te credis dum ambulas, si oculis credas, et ambulare te noscis quamvis consistas. Nequeo exprimere quantum iucunditatis afferat diversitas abeundi, si tu a via in viam exsilias, quod tamen caute faciendum hortor et moneo, ne vobis quod mihi contingat solemniter concidenti.

Hoc autem adinventum ita deliciosum est, ut ab eo avelli difficile sit, praesertim cum repuerascere quasi nobis videamur, et nulla defatigatione et stantes feramur ad plura contemplanda, quae in universa Expositione sunt. Quae si in pace diuque considerare volueris, nil facilius; e via velociori in seguiorem, immo et in immobilem transis. Quadraginta circiter hominum millia quavis hora tecum stant, abeunt, ruunt, gradiuntur pacifice; tu vides et stas, seu vides et comes abis, nec tamen moveris nec abis, compos eundi, standi prout libet, neque tamen stas, neque procedis. Lepidum porro, quia de quiete ac de motu quae credimus, quaeque subvertit.

Quotidie sexaginta francorum millia in aeraria redemptorum labuntur, qui et haec statuerunt faciendae et fecerunt. Ubi praeterierit annus, quid pecuniarum congestum iis erit? Parisienses, si removeretur, atrociter ferrent. Ergo manebit « via vians », quam ego amicus vester quotidie experior, et nunc scribendi finem facio, ad eam festinans de more quotidianus petitor.



“ Via Nationum., in Expositione Parisiensi.

Numquid non erit tempus, quo inter urbes et urbes viae viantes potius, quam currus et vaporivahae erunt?... Hoc inter Parisios et Romam fore futurum sperat vester

A. VIEILLOT.

DE AERIS TEMPERIE DEQUE MENTIS MOTIBUS

INTER aeris temperiem animique condiciones nexum quemdam interesse omnes propria sua experientia compertum habuere. Aestuante enim paulatim torrida canicula, quis est qui nervos sibi ad quemvis laborem veluti praecisos questus non sit, mentisque aciem inertem, obtusam?

Rem medicae artis studiosi viri attenta consideratione expenderunt, quorum placet responsa referre, mali causam aperientia et praebentia fortasse iuvamina et, quamvis levia ac lenientia, remedia.

Atqui hodierna nervorum infirmitate, qua plurimi laborant, affectos quosdam reperiri constat, qui novo hoc malo certis temporibus vehementius corripiuntur. Gallicae disciplinarum Academiae, qui a secretis est, rem testatur, ad quem, vix ineunt caniculae dies, litterae innumerae mittuntur rebus et verbis adeo amentes, ut cistella harum fragmentis cito compleatur. Apud Germanos, Anglos, Americanos eadem occurrunt, quae cum quotannis redeunte ad amussim solis statione ubique simul evenire videantur, tot amentium litterarum concordem veluti copiam sub torrido dio erumpentem non sine communi causa conflare deprehendimus.

Nec ad ea quidem opponere licet exiguas huiusmodi epistolas esse et plerumque non iteratas, ut mentis vitium denegari possit; facta enim et specie et numero contra loquuntur. Mercier, in Tigurino pago eximius medicus, uberi messe ex Helvetia exque America ea collegit, delineatisque tabulis, aeris temperiem cum animorum motibus arcto vinculo nexas ostendit. Quae autem ille phaenomena enucleavit, per quindecim usque annorum spatium examinata atque adnotata feruntur atque ex nosocomiis oblata Burghölzli (Tiguri in regione), Wa Bau (in Ber-

nensi), Koenigsfelden (in Argoviensi), Saint-Pirminberg (in Saint-Gall), Cery (in Valdensi). Haec autem loca montibus et agris distinguuntur, ad orientem vel ad occasum prospiciunt, montana pariter sunt ac in planitiem deducta. His itaque in nosocomiis quinque per annos adnotatum est uno semper eodemque mense mentis aegrotos numero maximos exceptos esse, eorumque gravissimas stultitias efferuisse.

Quando immo ceteri morbi, ut solet aestivo tempore fieri, exiguas plerumque victimas mactant, tunc animae contra amentes motus et stulti fervores maxime erumpunt. Atqui si locorum meteorologia, vel aeris condiciones examinentur, ipsius aeris odorem maxime ad haec efficienda conferre patebit. Quem cum altius suae fistulae dimetiuntur, cumque calor et tempestatum mensurae magis incertae videntur et quodammodo solutae vagare, amentium ingressus in hospitia constanter augentur.

Idem de miseris, qui sibi mortem comparant, praedicant, quos Mercier supputavit Decembri et Ianuario mensibus perpaucos esse, at Maio mense et Iunio plerosque semper dinumerari.

Sed et scelesti cruenta clade crimina iisdem legibus subiecta videntur, si Carolo Linney, ex Chicago urbe, credamus, qui pleraque tunc patrari animadvertit cum aeris odor ordinariam condicionem exsuperat. Ianuarius, Februarius, Martius menses decem et octo pro unaquaque centuria ex totius anni criminibus sibi avocant (18%), Aprilis contra, Maius, Iunius menses viginti duo (22%), Iulius, Augustus, September menses triginta et unum (31%), October, November, December menses viginti sex (26%).

Qui inter nordica Americarum civitatum foedera publicae valetudini prospiciunt, eadem inquirentes similia de mentium praecipue et nervorum morbis arguunt et docent. Tradit enim, qui maxime in rem impendit, Becker doctor, huiusmodi aegrotorum, pariterque scelestorum hominum maximum numerum ferventioribus Iulii et Augusti mensibus excrescere.

Quae quidem omnia multa ferme sunt ad disciplinam ditandam, verum ad conclusiones enucleandas pauca adhuc videntur. Nec ipse quidem Mercier, ex allatis tantum supra eventibus, leges tuto edere prudens reputat.

Nos autem existimare tutum ducimus aliquid saltem, haud levis forte ponderis, in huiusmodi observationibus latere, atque inter animi cerebrique motus aerisque temperiem, causae atque effectus ad instar, quoddam vinculum intercedere.

R. SPINA.

COMMUNIA VITAE

De messe, ac de papilionum aucupiiis et speciebus. (1)

DUO illi me dereliquerant, et eo abibant ac discurrerant, quo venationis fortuna rapiebat. Turma agrestium interea sarcinulas, manticas pone Tibrim deposuerat propter umbras populeas, scrutabaturque oculis caelum, et roata manu caelo, aeri matutina flamina dominantia scrutabatur, ut inde initium metendi faceret, unde ventum haberet ad humeros. Messoribus autem hoc sacrum et ante omnia quaerendum, ne, dum in opus incumbunt, contra pulverem habeant, et obversas oculis cuspidis aristarum. Erat cum eis foeminarum agmen, messori singula singula, quae spicas colligeret forte, interdum etiam composito, e manibus decedentes; fraus enim ubique. Hoc opus, mulieribus creditum, « spicilegium » dicitur a spicis legendis, quae collectae laeva tenentur manu; harum autem fasciculus, donec amplitudini manus par sit, « manipulus » appellatur, nempe quasi quoad « polleat manus »; dextera interea spicas aut stantes, aut forte minusve relictas, aut solo iacentes colligit laevaeque tenendas credit. Postea palea circumligata obstringit interculmum et spicam ad « frit »; divaricatisque aliquantulum in imo stelis recti manipuli per sulcum statuuntur, quo singula graditur mulier hominem sequuta metentem, quae « spicilega » idcirco vocatur. Vergente ad occidua sole, spicilegae solent manipulos requirere, singula suos, et in lineo mantili ad locum deferre, ubi flaminum halitus sit; ideoque spicilegio absistunt, quia, deficiente sole, venti flamen occidentalis omne simul cessat. Ubi ergo ventum est ad apta operi loca, ligneam tabulam tollunt manibus

(1) Cfr. an. III, n. XV.

19]

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Loll. — Melius ominare, senex, nec facile credas, tibi aut Mucio vita sublatis aptari posse quod perperam Plauto:

*Postquam is est oracino traditus thesauro,
Obliti sunt Romam loquar lingua latina.*

Nam, si unquam studia latinitalis in honore fuerunt, si aetas ulla scriptores dedit aureum Tullii sermonem referentes, id hoc maxime tempore obtigisse gratulamur.

Treb. — Cedo testes; cedo nomina. Quid enim hactenus allatum est nisi... *verba, praeterea quae nihil?*

Loll. — Obsequar tui studio et iusta petentis et praecleara cupientis. Ac primum quidem in universum consideranti progredientem humanitatem atque in optimum statum naturali quodam instinctu et cursu venientem, statim occurret fieri non posse ut pars ulla earum rerum, quae ad artem aut eruditionem pertinent, non modo non colatur, sed oblivione obsoleta iaceat; quin potius facile intelligetur, pleraque a veteribus desumpta, multo meliora apud nos fieri oportere, quam ipsi reliquerint. Aucto enim doctrinae patrimonio, longe arctior deprehensa est cognatio, qua artes omnes ac disciplinae inter se continentur, ita ut altera ab altera seiungi nequaquam possit. An vero studia historiae, quibus aetas nostra vacat felicissime, tot repertis excussisque pervetustis monumentis, pati potuit ignorationem latinitalis? Quid suscitatae tam plurimae litterae, nec eae quidem vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, quae sine graeci latique cultus notitia nullae fuissent? Quid inter se comparati gentium sermones, quid scientia verborum, quae philologia di-

citur? Ex quibus omnibus id utilitatis consequutae sunt artes, ut ab ipsa doctrina minime secernantur; ita ut quae olim amoenae litterae aut otia dicerentur, nunc agnita sint tamquam omnis humanitatis medulla. Cumque proximis aetatibus solas aurium delicias profiterentur plerumque litterae, nunc, retenta suavitate, sapientiae declarandae rebusque civitatis tractandis adhibentur sic, ut hunc citra finem veri nominis litteratus censeatur nemo.

Treb. — De iure constituendo videris agere, non de constituto. Cedo, inquam, nomina.

Loll. — Magnum opus omnino et arduum, amice, postulas. Etenim,

*Littora quot conchas, quot amoena rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet,*

tot novis quotidie premimur libris, quos comprehendere si coner,

Icaria numerum dicere coner aquae (1).

Treb. — Scilicet huiusmodi inundatio

*Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae (2).*

Idcirco ab eiusmodi libris fere semper cautus abstinui, nec vestrum caelum curare soleo.

Loll. — Ita plane te geris quemadmodum olim Americae filii, qui aditum ad caelum metuebant, ne forte ibi etiam obvios haberent Hispanos. At qui damnas quae ignoras?

Treb. — Ede nomina eorum, qui hodie latinum sermonem optime calleant.

Loll. — Faciam ut vis, deducamque ad ista orationem

(1) Ov. V *Trist.* II, 12.

(2) Hor. I *Carm.* II, 5.

ea lege, ut, quoniam duplex adhuc viget latine dicendi genus, alterum rusticum, urbanum alterum, sinas me pauca de utroque disserere. Primum igitur ex veteri consuetudine superest ingens latine loquentium et scribentium numerus, qui aspera, tristi, horrida oratione utuntur. Impoliti, rudium et imperitorum similes, assumpsere adipatum dictionis genus quoddam plane novum atque inauditum. Sic ad virium imbecillitatem sermonem accommodantes, simul ac mutila quaedam et hiantia loqui coepere, germanos esse se Cicerones putant. Iidem eloquentiam omnem in clamore et in verborum cursu positam credunt, nullam artium cognitionem internoscetes, docti latrare ad clepsydram. Ignari unde orta sit forma verborum haerent in delectu vocum, nec ulla est peregrina insolentia, quam non sibi adsciscendam arbitrentur. Quidquid autem in diversis romanae linguae voluminibus elaboratum est, id totum bonam esse supellectilem putant, indigestaque omnia quasi in acervum congerunt. Hac instructi copia et hoc sententiarum vanissimo strepitu ignoti persaepe homines ac repentini ex apparitoribus celeriter quaestores facti sunt. Horum similes mire expressit emunctae naris vir Iul. Caesar Cordara, ficto nomine L. Setani, in sermone *de tota Graeculorum huius aetatis literatura:*

*Dixeris egregie, si passim admixtus inanes
Inter fabellas intercidat hellenismus,
Aut nova, sed duplex oriundaque stipite graio
Vocula. Nec tibi iam posthac sartago rotunda;
Cyclicum dicatur; sit deinde ellipticum ovi
Ambitus: ast hominem microcosmi nomine dicas;
Tum rivis avibusque poetarumque procellis
Pictorum et silvis praefiges rite parergon.*

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

minime gravem, ram, et contra scabro ferro at-

Detritis vero est, glumis et palinipuli enim frumtiles et inanes -toque afflanti serglumam leviorum quia gravius est,

Quod autem quaeritur, optimum enim terrae pulvis granis inficitur, ne cauta cum colligit antonomastice et in pretio apud em-

Ecquid autem, flante, frumenti granis ab acervulo avertit callida ne quid per duas, pluresve galas et blandiloquam, sequentes tota die sit, rostris occupant tricolumque iis opurpureae cristis, minam recreantes, tantillum comparetiana folia, supped-

Verum non ea ars, immo, idque agrum non sint, neque singulorum tem accommodare probique esse veli striae tum pago, concedere. Nam in fimosaque sunt ubi eo interdum, ut caturam. Ibi ergo catur... At quo fecant. Falcem impradicemque demet pingendo in saxa glebas, perniciosum gendae et alligand glumis frumentum norum partem; frum (parcite verbo) lundilat, atque abipatet; propterea quiligandum est culm deferendus in curam et superductis aream utimur commota a neque cum traha commune habet, simpliciter, vel « spertiae declination foeminei generis, quia spicas excutiigitur nolo appellatum; utique hoc quo pratis foenum Quia, ante quam aut sapidius, ut seribus ac non min dimissis. Calculum sed haec vox aliqu mune sit cum fallilla diversa. De rudumetis, stirpibus cabimus? Quo nempe « serricula, dum et falculae,

(1) Italice serre

minime gravem, ferreis lineis transversim deductis asperam, et contra conversos agunt manipulos, ita, ut spicae scabro ferro atterantur, et frumenti grana demittant.

Detritis vero manipulis, quidquid frumenti in mantili est, glumis et paleae frustulis, siqua sint, admixtum - manipuli enim frumento orbat post terga proiciuntur inutiles et inanes - vannulo, cribro, manibus attollunt, vento afflanti sensim caducum tradunt, quo expurgatur, glumam leviolem, aristas, paleas alio agente; frumento, quia gravius est, concidente attollentis ad pedes.

Quod autem frumenti genus hoc ritu atque industria quaeritur, optimum ac praestantissimum habetur; nec enim terrae pulvere, nec viciae, nec lolii, nec zizaniae granis inficitur, namque horum nihil admiscuere spicis cautae cum colligerent seligentes manus, ideoque *spica* antonomastice et quadam excellentia nuncupatum maiore in pretio apud emptores est, et maioris venditur.

Ecquid autem, si vento fortius, ut fit interdum, perflante, frumenti grana, quae minoris sint ponderis, ventus ab acervulo avertat? Cavit, prospexitque huic negotio, callida ne quid pereat, villica; secum quippe de pago duas, pluresve gallinas deduxit, heram sibi carissimam et blandiloquam, more canum fidae pone et ad vestigia sequentes tota die, quae siquid lolii, siquid exilis grani sit, rostris occupant atque deglutunt, stomachumque ventriculorumque iis opplent ac farciunt, ova quotidie daturae, purpureae cristis, pinguiore adipe, laetioque crocitate dominam recreantes, quae ovis modo salem et obsonii suini tantillum comparet, et viro « tabagum », hoc est nicotiana folia, suppeditet emens, quo carior officio.

Verum non eadem ubique et apud omnes metendi ars, immo, idque tutius dicam, cum omnes inter se pares agri non sint, neque soli eadem ubertas, eademque vis, neque singulorum eadem semper sidera, necesse est artem accommodare temporis, loco, quin etiam, si veridici probique esse velimus, necesse est aliquid usui et industriae tum pago, tum dominis agrorum, ubi fit messis, concedere. Nam in campis, qui divite gleba et succulenta fimoque sunt uberes, solet altissimus culmus excrescere, eo interdum, ut cuiusvis etiam proceri messoris excedat staturam. Ibi ergo culmus pro pectore metentis tuto secatur... At quo ferro? Falcem, falculam, runculam vocant. Falcem improbamus penitus; haec enim ad solum radicemque demetit, quod perniciosum ferro saepius impingendo in saxa et lapides, aut saltem in obduratas aestu glebas, perniciosum et horreo; nam spicae postea colligendae et alligandae excussae, et excussae omne fere a glumis frumentum demitterent, aut saltem optimam granorum partem; frumentum enim ubi ad plenitudinem, et (parcite verbo) luxuriantes divitias pervenit suas, glumas dilatat, atque ab is modo capite, modo latere nudato patet; propterea quod delicata manu metendus atque diligendus est culmus, nec, nisi vespere aut rorante aurora, deferendus in aream, ubi postea atteretur inductis equis et superductis currentibus, vel machina illa, qua hodie utimur commota aut vapore, aut electrice, quae proinde neque cum traha veterum, vel tributa, vel tribulo nomen commune habet, cum penitus differat, sed « excutrix » simpliciter, vel « spicifraga » probe appellabitur. Vox prima tertiae declinationi adscribenda; altera primae, utraque foeminei generis, nam subintelligitur « machina »; prima quia spicas excutiat, altera quia spicas frangat. Falcem igitur nolo appellare ferrum, quo utuntur messorum frugum; utique hoc indicetur nomine instrumentum illud, quo pratis foenum praeciditur... Curnam praeciditur?... Quia, ante quam arescat plena maturitate, caedendum est ut sapidius, ut semen teneat, ut odorum sit, suave naribus ac non minus palato aromatibus cum semine non dimissis. Falculam paene subirem toleraremque dicendam, sed haec vox aliquid retinet quod specie nominis commune sit cum falce, dum contra est forma penitus ab illa diversa. De runca et runcula non ago, quia haec dumetis, stirpibusque truncandis adhibetur. Quomodo vocabimus? Quo nomine messorum nostri adhuc vocant; nempe « serriculum » (1). Ferrum enim est ad lunae modum et falculae, ex chalybe totum, at non extenuatum

(1) Italice *serrocchio*.

rotae cotisque ministerio, sed malle; cuius ictibus non continuae laminae aciem, sed serrae potius praefert imaginem, ideoque horribile huius ferri vulnus, et cavendum in primis, atque huic infortunio messorum prospiciunt factis ex calamo thecis, in quas digitos immittunt, « dactylithecae », vel « digitithecae » nuncupandae. Messorum nostri « arundulas » dicunt, nec absurde nunc eos ita dicere, vel accepto, vel facto nomine, existimo.

Serriculae autem huic, quae curvatur in arcum interiorius acutum, prouti dixi, secantemque ferocius, ita ut litterae C ad amissum praebat imaginem, capulus additur ligneus, seu manubrium, quo agat eam dextra messoris, laeva comprehendente super securam spiciferas paleas, ac retinente sectas.

Sed ad messuram modos redeamus. Primus itaque metendi modus is est ad stramenti dimidium, quo plerumque utuntur non modo Romano in agro messorum, sed fere ubique; commoda quippe multa praestat; nam in quod reliquum stramenti est inter serrulam ac solum paucis aguntur armenta, sive equina, sive bovina, manipulis antea sublatis et in aream deportatis, ubi atterantur. Humiliores enim herulae sunt in sulcis, natae umbra spicarum, sunt ibi et interdum reliquae, etsi raras, spicae seu neglectae, seu non collectae a praetereunte spicilega, quam spe uberius praedae messor alliciebat uxorius, quibus et herbulis et spicis et paleis et viciae theculis armenta avidae inhiant, et non mediocriter saginantur.

Solent etiam messorum, advesperascente caelo, interdum percensere manipulos, eosque, quadruplici ordine seu serie manipulorum superposita, ad maceriae modum struere, hoc tamen ritu, ut duo praecipua habeantur, nempe ut murus hic non sit contra collem, si montosus sit ager, sed huic obliquus, nec sit iuxta fossas, vel torrentem in aequo. Nubifragia enim interdum, turbinesque, procellaeque aeris repentina veniunt, quae effuso imbre macerias hasce obiectas disicere saepe atque rapuerunt, et in fluentia miserime peritura tulerunt. In obliqua ruentes imbres nihil damni, aut exigui fecerunt. Quoad autem fieri possit consulendum, ut protrahantur maceriae huiusmodi a septentrionibus in austrum, non ab oriente ad occidentem solem, ut solis lux eas undique et quaquaversum afficiat ac lustret; est enim apud rusticos opinio spicas, etsi sectas, triduo insuper germinare et frumenti grana augeri et crescere. Post triduum vero penitus obdurescere et exsiccare.

Solent vero studentes rebus suis heri, qui nec armenta prudentes in reliqua illa agant stramenta segetis, sed sublatis manipulis omnibus novum operariorum genus mittunt in agrum, qui secundum terram stantia segetis quaeque stramenta rescant, adducenda prope stabula et casas, quibus hieme equi, boves et pecora quaeque alantur, si glacie cuncta arescant in campis, vel nive supereffusa herbae obducantur.

Messionis genus alterum habetur, ut olim in Piceno Varronis aetate, nunc ubique ubi sit culmus minime excelsus, quo serricula tantummodo culmi capita, idest spicae secantur, et in corbem iaciuntur, mox deportandae in aream, terendae. Tertium vero utriusque generi commune est, atque in Piceno eadem aetate obvium, quo secundum terram stramenta truncantur, fasciculique per sulcos relinquuntur; hi autem cum postea percenserentur, spicis diminuebantur, quae corbibus traditae mittebantur in aream, stramenta congerebantur bona pecori nutriendo, ubi cetera, tempestate inimica, deficerent. Hic autem metendi modus invisus messoribus est, qui spicilegas, fructuosissimas manus, deferre secum non possunt, hero abnuente, et rapaces avidasque manus mulierum spicis pro sulco iacentibus iure timentes.

Iamque de messoribus, messisque instrumentis et modis aequa dixisse me autumo. Nunc ad ea quae papilionum sunt redeo, praesertim cum ad me redeant Rostagnus et Niius hilares vultu quidem, sed acrius inter se disserentes; quo credo singularem aliquam fuisse ab iis praedam factam, novumque aliquid in papilionum populum fortasse bono alite inventum.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

HORAE SUBSECIVAE

AD FELICEM RAMORINO
IN AGRO PISTORIENSI RUSTICANTEM
CUI "VOCEM URBIS", REMITTEBAM

*Ne rursus videar Catullianos
(Me dixisse putes id, oro, tantum
Carminis ratione syllabarum)
Mittens versiculos molestus esse
Ineptusve tibi tot occupato
Artium studiis bonis bonarum,
Chartas me iuvat unus exarantem
Stilus, nam Latiae favent Camoenae.
Neque his, docte, quidem absonum tenebis
Carmen esse locis, et hic Poesin
Irvitam cytharae ferire chordas:
Nam quae silva leves ciet susurros,
Quique inter teretes scatens lapillos
Rivos frigidulis oberrat undis
Et, quot praetereat, domos salutat,
Nonne, quaeso, animum excitant poetae
Ut umbris ratus interesse Pindi
Et ex Castaliis simul cadentem
Aquam audire iugis, lyra, quod intus
Sentit, dulcisona exprimat resumpta?
Leni sic Anio fluens susurro
Et silvas bene Tiburis virentes
Qui adflabat zephyrus, laboriosa
Iam per carmina murmurant Horati!
Sed me, quem Latii cupido cepit
Commentarioli, ut lyra rogavi,
Idem nunc sine versibus remittam,
Et grates tibi maximas agam, dum,
Ramorine, malo bonus poetae
Sis, oro, et quod habes novi legendum
Des, ni versiculis molestus esse
Tibi nunc videor Catullianis.*

ALAFRIDUS BARTOLI.

AUREUM OCEANUM

ALASKA, tribus abhinc annis, celeberrimum aureo splendore nomen orbi terrarum emicuit. Aurea pulvis, saxa, glareae ad Klondyke loca undique circumreplebant, et Iukon fluminis gelidas ripas. Huc effossorum miserum genus, copiarum avidum, undique ex Europa, ex America confluit, heic urbes et pagi et oppida brevi excitata sunt.

At maiora manebant. Elapso equidem mense Iunio superioris anni effossorum quidam, per Alaska litora, occidentem versus ad Nome caput iter facientes, maris arenam sole percussam insolitis splendoribus micare animadvertent. Re propius examinata, aurum statim lucidae flammae causam recognovere: auri granulos, paleas, glareas, arena atque maris fluctus euntes atque redeuntes perpoliebant, ita ut adverso sole tamquam late magnus undique thesaurus in propatulo positus splenderet.

Gaudium virorum non referam. Admotis axibus, apto scalpro per gradus incisis, atque in terram obliquo defixis, arenam una cum aqua vasibus susceptam in eos deiciunt: aqua et arena leviores pondere defluunt, at aurei lapilli in incisionibus manent atque resident facili manu colligendi.

Mirandi eventus notitia finitimas regiones brevi pervadit, effossorum binae centuriae cito conveniunt ad aquas, tribusque hebdomadis ad decies centena millia libellarum et amplius lucidas divitias congerunt. Supervenit autem arctici hiemis densa nox, glaciesque horrida abditos marinis fluctibus thesauros omnino obruit atque cohibuit.

Interea vero omnes Alaska peragrantes rem noverant, et Klondyke, Dawson, Sukon saxa atque aspera montium riparumve, sterilia prae aurea messe facta deseruere un-

dique effossore. Quinquaginta currus canibus acti una eademque die e Dawson portis profecti sunt nivaleque iter, auream versus metam, cuiusvis doloris atque aerumnae patientes audacterque inierunt.

Itaque ad decem millia effossore glaciei resolutionem squalidas per oras iam manent, exque Pacifici Oceani litoribus octoginta hominum millia illuc convenire parata dicunt, ubi primum maris facies iterum libera navibus viam dabit, quod navalibus collegiis inexhausti lucri fontem futurum iam praevident.

Utensilia, tentoria, vestes, arma, cibos advehi secum migrantes coguntur; equis tamen moratur cum pretiosa saxa bismillia libellarum pondere interdum etiam reperta sint, et centum vel biscentum libellarum quotidie plane colligantur? Nec quisquam bene auspicatum sese reputat, nisi post solis occasum centum saltem libellas lucratus sit, neque, etsi mille collegerit, insolitam sese fortunam expertum gestiet.

At notandum rempublicam Septemtrionalis Americani foederis edixisse maris arenam in nullius bona cedere posse, occupanti cuique proinde eam patere oportere, tantumque adtribui singulis spatium quantum upupa in cruce posita dimetiatur. Cum vero fossor e loco cesserit, succedendi statim in eius locum alteri ius sit. Hoc autem edicto vix evulgato callidissimi argentariorum commerciorumque praefecti foedus simul dixerunt, ut auriferam glaream utilius expoliarent.

Exstructis itaque ad rem navibus, vix atque marinus fluxus arenam obtegens effodientes, ne demergantur, expellit, properant naves ad litus, deiectisque anchoris antlia undam arenamque simul adspirant, diluunt, auro expoliant atque inopem per fistulas demittunt.

Sed cum effossore sint manuballistis, ut plurimum, instructi, prudens apparuit navium magistris chalybe earum latera veluti loriceis muniri atque tormenta bellica circumponi: hinc enim auri fame nova bella parantur, quasi ea, quae hactenus efflagrant, satis non videantur; quare cautum est a reipublicae administris ut loricata reipublicae navis ad auriferum litus pariter mittatur una cum pedum legione, qui dimicantes forte cohibeant.

Quae maxime recens mensurae peractae sunt, ad centum usque millia passuum auriferam arenam produci tradunt; at dubitant plures ne sub marinis etiam fluctibus late progrediatur Asiamque versus sese effundat. Immo cum Russorum quaedam diaria enunciarerint in orientali Kamchatka litoribus Anglos auri vestigia reperisse, sunt qui absurdum non reputent arenam huiusmodi mare obrotam ex America Asiam attingere, ita ut marinum aequor, aureum aliud oceanum quodammodo obteget.

A. L.

ANNALES

Sinensia fata - Lutetiense iter a Russorum Caesare intermissum - Boerorum republica Anglis addicta - Rumeni regis atque Austrorum imperatoris ad Ischl colloquium - Turcarum imperatoris solemnes feriae ob quintum et vigesimum imperii annum celebratae.

SINENSE bellum primas, uti par est, sibi vindicat; Italorum Germanorumque auxilia dum ad Ta-ku portum appellunt, dumque Gallorumque dux Vayron eiusque comitatus tribuni Saigon, Gallicam coloniam, festantibus incolis, attingunt, atque Valdersee, supremus omnium dux, citissime ad litora belli properat, milites omnes ex quacumque natione, qui Pekinum occupavere, deambulationem quamdam militari ritu per urbem habuerunt, ut subacta armis moenia quodammodo ubique calcarent. Vexillis itaque ventis datis, praeceuntibus tibicinibus, equites peditesque solempni pompa, veluti ad triumphum, urbem circumlustrarunt. Russi primi, deinde Iaponenses, Angli deinceps, Americani, Germani et Galli Italique, canentibus tubis, et rithmico gressu coram universa

plebe transierunt. Quies, haec inter, redit in urbem, nundinae renovantur, commercia iterum incipiunt, quare opportunum visum est Russorum Caesari de pace componenda iamiam agere. Itaque consilium hoc ultro praebens cum Americanis primum communicavit, qui libenter acceperunt, nec iam aliud, ut suos milites ex urbe capite revocent, nisi Russorum exemplum expectant. Angli vero vehementer dubitant an opportunum reapse sit in tanta adhuc rerum incertitudine omnibus praesidiis Europaeum nomen expoliare, atque pretiosissimum aequae pacis componendae abicere pignus. Haec eadem dubia Germanorum Austrorumque et Italarum vehementer commovent animos, cum praecipue quotidie exaudiantur novae clades a pugilibus illis nefastis admitti per Yang-tse-kiang fluminis vallem omnem, exceptis forte iis locis, ad quae sive bellica navis, sive praesidium foederatorum pervenerit. Nam sacri Evangelii praecones, et christicolae et sacrae virgines, ubicumque patet irrefrenatum barbaris arbitrium, immani crudelitate atrocissimisque cruciatibus interficiuntur, vastantur sacrae aedes et hospitia, ipsique magistratus manum vel consilium ad operam nefandam conferunt. Immo et per provincias omnes, quae ad meridiem spectant, deficientibus Europaorum praesidiis, serpere heic et illic ac flagrare caedis seditionisque rumor exauditur.

Quapropter nonnulli dubitant ne forte ob pecuniae defectum Russi cogantur deserere bellum, ac proinde ceteris etiam suadere ut suum exemplum imitentur. Tradebant inde initam ab eorum legato repente ad Gallos viam, ut Gallorum aes mutuaretur, utque simul Loubet, reipublicae praesidem, oblata sui Caesaris epistola, ac Sancti Andreae equestri maximi ordinis torque, propitium sibi faceret, atque neglectum ab illo Lutetiense iter, quod non semel diaria sponderant, quodammodo excusaret ac insigni dono rependeret.

Ipsae interim Russorum Caesar legatos Boerorum magna comitate excepit, sed de extremis belli infelicissimi vicibus nonnisi verbis sollicitus videtur. Eo quidem in bello ad Machar-dorp ultimo pugnatum est; Boeris autem usque ad incitas obsistentibus oportuit tandem pugnae locum deserere. Inde Roberts dux bellum tandem sese confecisse arbitratus, edictum solemne dixit de Transvaaliana libertate deleta atque de republica omni in Anglorum dominium redacta. Edictum in oratorum coetu ad Capetown publice perlectum est, responsionem autem acerriam Krüger statim redigens, eam ad omnes Americae et Europae reges et praesides misit. Adventiones igitur quotidie renovantur; Dewet dux, nunquam defatigatus, circa Bloemfontein iterum decurrit, ferrea itinera pessumdat, commeatus diripit vel prohibet, ignem in acervis submittit. Unguibus et rostris ultimae pugnae agentur; iusiurandum est enim Boeris, ne usque ad vitae amissionem unquam praellium deserant utque suam patriam et libertatem usque ad unum tueantur.

Ischl Austriae in urbe Franciscus Iosephus, Austrorum imperator, Carolum Rumenorum regem excepit, colloquium secreto habuit una cum Goluchowsky, rerum ad externos administro. Bulgarorum enim conatus et minae finitimos Rumenos graviter inturbant, atque vices teterrimae suae ipsorum reipublicae parant, nisi ab imperatoribus et regibus aliarum gentium a bello ineundo prohibeantur. Rumeni enim instructos sese ad pugnam non incassum

obtestantur, sed pacem servandam potissimum prae oculis habere. Atqui Bulgarorum insidiae Hellesponti litora ubique commovent, et maximam ruinam tum sibi tum ceteris excitare videntur.

Inde igitur cautum ab iis dicunt, ut ad Turcarum imperatorem, qui vigesimum quintum sui regni annum multis feriis celebravit, solemnem legationem mitterent. Feriarum vero maxima lautissima coena fuit in imperiali aula habita, ad quam legati omnium gentium convenerunt, et Austrorum legatus, dynasta a Calice, omnium senior, fervidis auspiciis in Abdul Hamid prosperitatem libavit.

POPPLICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

FERDINANDO PELLEGRINI. **Pio VI P. M. abate in Subiaco e martire a Valenza.** - Romae ex officina Tiberina, a. 1900.

Funebris est laudatio, quae cumulum imposuit honoribus Pio VI P. M. instauratis in Sublaquensi templo maximo iv kal. Septembr. anni superioris, quo die primum saecularis memoria celebrata est eius Pontificis. Paginis vix octo et viginti, presso ac rapido dicendi genere, Augusti Caesenatis figura sic eminet, ut historiae molem exaequare videatur. Adiecta orationi sunt, eruditionis causa, quaedam de Sublaqueo ac de sacro Ordine legiferi Patris Benedicti.

P. A.

AENIGMATA

I.
Parvi fit *primus*, sed pluris pendit avarus
Per fas perque nefas cupiens implere crumenam.
Ex hortis veniunt vescendi in iure *secundi*.
Integra mirandum *vox* pastorem exhibet ambas
Inflantem buccas utremque, tubisque canentem.

II.
Quinque notas tantum quaeres, mi lector, et istis
Callidus interpres nomina bina dabis.
Primum nomen habes in messe et cernis in illo
Nomen inesse rei, quae bona cuncta parit.

DIGAMMA.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

Prof. LUIGI CHIESA.
LA BASE DEL REALISMO
E LA CRITICA NEOKANZIANA

Aenigmata ann. III, n. XIV proposita his respondent:

1) **Vi-lis** 2) **At-reus.**

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Th. Laureri, Roma - Fr. Sallarés, Sabadello - Guil. Schenz, Ratisbona - Herm. Gini, Taurinis aquis - G. Langenberg, Monasterio Guesph. - Ver. Cariolato, Vicentia - A. Chevènement, Nods - St. Figielski, Rupino. - Ad. Huza, Grybovia - A. E. De Druffel, Verbergen - Aug. Roberge, Chicot, in Canada - Petr. Garrone, Pezzana ad Vercellas - Th. Vinas, Sch. Piar., Tarrega - Ios. Castelli, Gandino - C. Perazzi, Mengalore, in Indis - F. Szymajtis, Opitoloki, in Lithuania - Alois. Cappelli, Senis - V. Hertel, Mendhausen - Mich. Vidal, Palma.

Sortitus est praemium:

Fr. SALLARÉS,
ad quem missum est opus, cui titulus:

GUIDA DEL PELLEGRINO A ROMA
riveduta e corretta dal P. GIUSEPPE BONAVENIA d. C. d. G.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

PER ORBEM

LOCUM ante omnia libenter cedo clarissimo socio nostro Iosepho Wabner, qui pro sua humanitate mihi ex Polonia succurrit: hoc unum ominor, ne in posterum de huiusmodi notiis, sed iucundis et me et lectores certiores faciat. Scripsit enim turrin excelsam templi Claromontani, in Polonia celeberrimi et vetustissimi, in urbe Ozenstochovia, superiore parte incendio deletam. Incendium pyrotechnicis ludis est excitatum, quibus festum Assumptionis B. V. ex ipsa turri homines pii, sed parum periti et prudentes, celebrare voluerunt. Addidit Wabnerius damnum mox fortasse in refectum civium largitionibus; quod minime in dubium revoco ex moribus pietissimae gentis Poloniae, omnibus notis; ego interim in Galliam hodiernum iter pergo.

☞

Qui autem tot inibi desertiones recolam? Massiliensem primam eamque maximam operariorum omnium atque gerulorum, qui circa naves adlaborabant; post eos itali quoque operarii exemplum contubernium sequuntur, operam deserunt, atque instructo agmine prolatisque vexillis, vias civitatis strepentes percurrunt. Postea automedontes curruumque actores, ceterique aurigae, vectores, et huiusmodi, ita ut milites iam videantur passim vehes currusque agere et ducere: tandemque similia pistores munitantur. Rothomagensi in urbe nautae, quotquot scaphas per flumen agunt, pari desidia correpti, coniurant, ita plane ut proximas militum exercitationes differre ad aliud tempus oportuerit, ne ad tot tumultuantes cohibendos reipublicae vires deficiant.

Noxia huiusmodi exempla Helvetii inter suos fines imitantur, qui Lausonio in civitate opificum turbas peragrantes conspiciunt, non sine maximis clamoribus, atque vigilibus consecantibus. Quorum aestui unicum remedium credam quod Lucanensibus contra civibus contigit, pluviam nempe adeo violentam et copiosam, ut brevi hora vias omnes, plateas, templa, atria, caveas in flumina, in stagna, in lacus permutaverit.

☞

Non tutum itaque, neque iucundum ad huiusmodi urbes iter; sed neque via tutior ad alias; dum enim audio Faure Gallum, novum veluti sed aereum Leandrum, ex Gallia in Angliam feliciter transitum volanti globo fecisse, nec Germanis nec Americanis, qui maxima humanitate pollent, peregrinantibus sortem pepercisse accipio.

Ad Novum Eboracum, prope Hatfield stationem, vaporitrahæ duae, altera in alteram occurrens, quassatae ad invicem, quindecim viatores interfecerunt, quadraginta vulnerarunt. Ad Constantiensem urbem, prope lacum eius celeberrimum, ferreae vehes ex Basileensi statione binis vaporitrahæ actae e tramitibus prosiluerunt; prima machina in dexteram corruit, altera saxis repente adhaesit, sed tramites lapidesque divulsit circumque proiecit ira terribili: mortui inde tres, vulnerati decem et septem, quos ad invisendos in nosocomio degentes Badenses duces statim preperarunt.

☞

Germani itaque prudentia optima laudandi illi, qui per Africae tenebras, leones inter barbarosque Nigratas, viam suo animo tantum confisi inierunt, ut loca circa Rudolphum, quem vocant, lacum investigarent. Expeditio, cui Erlanger et Neumann praesunt, viri fortes, ad Aethiopici regni

urbem caput Adis-Abeba Menelik regem salutata processit; inde, camelis bis centum instructa, per Harrar terras mediosque Gallas adhuc indomitos, quamvis renuente ob sollicitudinem imperatore, pergere statuit.

Hussein, Turcarum regulus, cum militibus ut Germanos comitaretur profectus est, et fractis barbarorum hinc inde conatibus, superatis belluarum atque crocodilorum innumeris insidiis, ad Luku feliciter pervenerunt. Hiant inibi, lucens prodigium, crystallo nitidi micantesque specus ad Ginea oppidum, quos maximum praedicant totius Africae miraculum.

☞

Favet itaque doctis saltem Mercurius, itinerum numen, eoque opitulante lucidum aliud portentum evenisse ex Indiis novimus. Nautae in scapha expiscantes cancrum ingentem, immanem, quo nunquam maiorem, captum tenuerunt. Crura eius sive brachia ad bina cubita protenduntur, forcipes eius terribiles, ingluvies horrenda, pupillae ex pedunculis fulgentes saevam crudelitatem minantur. Captivum reapse in craterem nautae reposuerunt, ubi et pisces multos et testudines et minores cancores in unda collegerant: sed binis post horas, cum redirent ut expiscatos thesauros dinumerarent, nihil iam erat nisi monstrum, quod infortunii sui comites omnes voraverat. Sed pretium operis et cladis ad noctem piscatores manebat: tenebris enim invadentibus lumen visum est paulatim ex media nave illucescere, cuius nucleum cancri corpus erat, ex quo profecto tot radii albedine lucentes ac splendentes maxima effluebant, quasi ex gigante quodam carbonchio ex Nerei thesauris direpto.

Quem tandem in Calcuttae aquario recondiderunt... quousque forsan arbori altissimae media in platea superimponant, ut luceat omnibus qui in urbe sunt.

VIATOR.

VARIA

Flores in conclavibus.

Hoc, in quo vivimus tempore, flores, herbae, plantaeque multigenae ad ornatum domorum venere, neque nego morem idoneum esse salutis, gratum oculis, delectabilem atque utilem animo et corpori simul. Temperant quippe aestum, humorem alique, parca manu, ut par est, effundunt, pulmones recreant edito oxigeno, et suaviter, si res intra modum sit, perfiant nares odore. Neque mirandum credo si usus hic in nos devenerit a rigidioribus urbibus Europaeae regionis; ibi enim, quae pulchra et pulcherrima visu huiusmodi sunt, haud quidem in aperto quaerenda nivibus constrato et rigente; propterea quod in interiore domus parte deliciae huiusmodi constituere necesse fuit. Quae autem regiones ad meridiem pertinent, uti Italia, Lusitania, Hispania et similes, satis praebent ex iis, si per atria, si per agros deambulent, convertantque oculos incolae.

Verum, quidquid causae sit, his in usu et consuetudine bono alite investis, illud emergit et constat, fuisse in floribus semper aliquid, quod laetitiam diebus adderet festis, quod rebus decus non mediocre daret. Attamen XVI saeculo in Gallia optimatum aulas ornare primum flores et frondes; illudque in primis fuit ut, qui hieme camini, infumibula (spatiosa loca et sculptis illustra imaginibus) prunis, flammisque inserviebant, aestate floribus, frondibus, herbis vi-

ridescentibus quasi receptacula servirent. Quod quidem - res enim a frondibus ad flores venit - magno apparatu temporibus Enrici IV et Ludovici XIII actum est. Ludovico XIV rege medica mala et citrina aulas aedesque regias complebant, et argenteis in vasibus huiusmodi arbusculi in regali illo triclinio, cui a Diana et Venere appellatio, virebant.

Aloisius Philippus ante caminos aestivo tempore gradus iubeat apponi, super quibus plura disponerentur vasa, eo tamen more ut absque more, absque ordine, demum dispositione nulla distributa viderentur, ac ita rudem naturam incomptamque manu, et liberam et solutam legibus imitarentur.

Hodiernis autem diebus, in domibus magnificentissimis solent crystallis decernere opertum lacunar, unde solis iubar hiemali tempore super flores roret, calor autem ex cuniculis sapienter dispositis a calidario palatii illuc migret; sic aeterno vere tepescant flores et fructus, frondes ac herbae. Quae profecto, si oculis fruenter, si mentis sermone uterentur, mirarentur credo ex tam diversis dissitisque regionibus eodem esse translata, et in pace vivere quae Asiae sunt cum iis, quae in America, vel in Australia germinarunt.

Atque hic amor florum eo crevit, ut nunc penes omnes ingens sit, nec pauper humilioribus, nec dives pretiosioribus carere se posse floribus arbitrentur. Quod quidem nonnihil boni affert; delicati enim fiunt mores cultu florum, species, pulchritudo, color, odores aliquid in animos ingerunt, quod humanius est, neque paucos alit cultura horticorum, qui a cura brassicae et lactucarum ad floriculturam operam, nervos, mentemque suam converterunt. Est et ultra. Floricultura iam fere disciplina est, quae dum nova inter flores quaerit statuitque connubia, novamque florum educat agitque progeniem, mirabilia opera Dei, et arcana, quae praefuere creationi rerum ostendit.

*

Harengi quo vescantur.

Diu de cibo harengorum quaesitum; nunc docta virorum manus, cui H. F. Moore praeest e civitatibus Septemtrionalis Americae foederatis, ad pisces colendos, suo ipso praeside viriliter sagitante, decrevit experimentis adhibitis harengos ali multitudine propemodum infinita pisciculorum minimorum, ne iis quidem exceptis, qui ex harengorum familia sunt. Pisciculi huiusmodi ita exiles sunt, ut aciem oculorum crystallo lenticulari non munitam effugiant. Quamplurimi ex hisce autem phosphorescentia praediti sunt, qua iuvante harengi, noctu praesertim, persequuntur et assequuntur.

*

Ioci.

Per quae peccat quis, per haec torqueatur?

Apud Anglum iudicem furti quidam reus erat. Cui iudex: — Intellige te semestri carceris poena mulctatum quia nummariam arcam perregisti. — At reus: — Non ego criminis reus, bone iudex, non ego. — Iterum igitur iudex: — Atqui tu te fecisse fassus es. — Latro autem: — Dico me non fecisse; dexterum hoc brachium meum improbi operis artifex; huic poena esto. — Iudex qui iocari censebat: — Age — inquit — dexterum istud brachium tuum semestri carceri do. — Quid putatis tunc accidisse? Sinistro brachio dexterum - ligneum enim aptaverat - divellit a scapulis, deposuitque coram iudice, flagitii poenas daturum. Ipse abiit callidus excusso iudicem suspendere naso.

P. d. V.

potissimum prae
insidiae Hellesponti
imam ruinam tum

ut ad Turcarum
tum sui regni an-
nmem legationem
lautissima coena
am legati omnium
n legatus, dynasta
auspiciis in Abdul

POPPLICOLA.

SENSIO

I. P. M. abate in
Romae ex officina

um imposuit hono-
Sublaquensi templo
rioris, quo die pri-
est eius Pontificis.
rapido dicendi ge-
minet, ut historiae
orationi sunt, erudi-
ac de sacro Ordine

P. A.

A

avarus
ere crumenam.
secundi.
hibet ambas
ne canentem.

lector, et istis
abis.
cernis in illo
ncta parit.

DIGAMMA.

matris interpreta-
torem miserint
gratis accipiet

LISMO
IANA

his respondent:
is.

Sallarés, Sabadello -
viris aquis - G. Lan-
o, Vicentia - A. Che-
d. Huza, Grybovia -
Chicot, in Canada -
Vinas. Sch. Piar.,
azzi, Mengalore, in
ia - Alois. Cappelli,
Palma.

A ROMA
VENIA d. C. d. G.

I, iurisperitus.

Socii.

Desclée, Lefebvre & Soc.

ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

Nuperrime ediderunt libellum, cui titulus:

ALMANACCO ILLUSTRATO

delle Famiglie Cattoliche per il 1901

◊ (Ann. XII) ◊

pluribus iisque variis et iucundis scriptis atque figuris ornatum

Ven. libell. ital. 0.50

1000 dona gratuito sorti committentur inter emptores voluminis, cuius exemplar quodque proprium ad rem numerum refert.

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiarie officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

T. G. Fratrum PARISI CANDELARUM AD SACRA OPIFIICIUM

PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publi-
ce habitis maxima re
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit,
suppeditat.



Praecipua Tempa
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 190 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petan-
tur onera (300 Chilo-
gramm. ad minimum),
pretium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nulla impendio iubentium

res in proximiorum a petentibus designatum portum deferuntur


Gratis pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Civis quaerenti explicatio erit uberior.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

* EDIDIT *



Mnemosynon Iubilaei Magni

DIRIBITORIAE CHARTULAE INSTAR

AD FIDEM EXPRESSUM REFERENTIS

Solemne aperitionis Portae Sanctae

a Leone PP. XIII

die XXIV mens. Decembris MDCCC IC peractae.

Pretium singulorum centum ante solvendum commentarii VOX URBIS admini-
stratori - Romae, via Alessandrina, 87 - est Lib. 3.50.

Nulla impendio ad iubentis domicilium chartulae ipsae mittuntur